

L ▶ COELII LACTANTII FIRMIANI

DIVINARVM INSTITVTIONVM ADVERSVS
GENTEIS LIBER SECVNDVS, DE ORI-
GINE ERRORIS, AD CONSTAN-
TINVM IMPERATOREM.

Quod rationis obliuio & ignorantia sui, facit homines ingratos uero deo, qui colitur
in aduersis, & in prosperitate contemnitur. Cap. I



QUANTUM primo libro religiones deorū falsas esse mon-
strauerim, quod ij quorum uarios dissimilesq; cultus per uni-
uersam terram consensus hominū stulta persuasione suscepit,
mortales fuerint, functiq; uita diuinæ necessitati morti cōces-
serint: tamen ne qua dubitatio relinquatur, hic secundus liber
fontem ipsum patefaciet errorū, causasq; omnes explicabit,
& quibus decepti homines, & primitus deos esse crediderunt,
& postmodum inueterata persuasione, in susceptis prauissime religionibus perse-
uerarunt. Gestio enim coniunctis manibus, & hominū impia uanitate detecta, sin-
gularis dei asserere maiestatem: suspicans utilius & maius officium, scilicet reuo-
candi homines à prauis itineribus, & in gratiam secum ipsos reducendi: ne se (ut
quidā philosophi faciunt) tantopere despiciant, neue se infirmos, & superuacuos,
& nihil, & frustra omnino natos putent: quæ opinio plerosq; ad uitia compellit.
Nam dum existimant nulli deo nos esse curæ, aut post mortem nihil nos esse futur-
B ros, totos se libidinibus addicunt: & dum licere sibi putant, hauriendis uoluptati-
bus sitientes incūbunt, per quas imprudentes in laqueos mortis incurrunt. Igno-
rant enim quæ sit hominis ratio: quam si tenere uellent, in primis deum suū agnos-
cerent, uirtutem, iustitiamq; sequerentur, terrenis figmentis animas suas nō sub-
sternerent, mortiferas libidinum uoluptates non appeterent, denique seipsos ma-
gni aestimarent, atq; intelligerent plus esse in homine, quàm uidetur: cuius uim,
conditionemq; non aliter posse retineri, nisi cultum ueri parentis sui, deposita pra-
uitate, susceperint. Equidem, sicut oportet, de summa rerum sæpenumero cogi-
tans, admirari soleo maiestatem dei singularis, quæ continet regitq; omnia, in tan-
tam uenisse obliuionem, ut quæ sola coli debeat, sola potissimū negligatur: homi-
nes autem ipsos ad tantam cæcitatem esse deductos, ut uero ac uiuo deo mortuos
anteferant: terrenos autem, in terraq; sepultos, ei, qui fundator ipsius terræ fuit.
Et tamen huic impietati hominum posset uenia concedi, si omnino ab ignorantia
diuini nominis ueniret hic error. Quum uero ipsos deorum cultores sæpe uidea-
mus deum summum & confiteri & prædicare, quam sibi ueniam sperare pos-
sunt impietatis suæ, qui non agnoscunt cultum eius, quem prorsus ignorari ab ho-
mine fas non est: Nam & quum iurant, & quum optant, & quum gratias agunt,
non louem, aut deos multos, sed deum nominant: adeo ipsa ueritas, cogente na-
tura, etiā ab inuitis pectoribus erumpit: quod quidem non faciunt in prosperis
rebus. Nam tum maxime deus ex memoria hominum elabitur, quum beneficijs
eius fruētes, honorem dare diuinæ indulgentiæ deberent. At uero si qua necessi-
tas grauis presserit, tunc deum recordantur. Si belli terror infremuerit, si mor-
borum pestifera uis incubuerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegauerit, si
sæua tempestas, si grando ingruerit, ad deum confugiunt, à deo petitur auxilium:
deus ut subueniat, oratur. Si quis in mari uento sæuiente iactatur, hunc inuocat.

↑ suscipiens

Impij totos se li-
bidinibus addi-
cunt.

C Si quis aliqua vi afflictor, hunc protinus implorat. Si quis ad extremam mendicandi necessitatem deductus, uictum precibus exposcit, deum solum obtestatur, & per eius diuinum atq; unicum † numen, hominum sibi misericordiam quaerit. † nomen † defuerit Nunquam igitur dei meminerunt, nisi dum in malis sunt: postquam metus † defuerit, & pericula recesserunt, tum uero alacres ad deorum templa concurrunt, his libant, his sacrificant, hos coronant. Deo autem, quem in ipsa necessitate implorauerunt, ne uerbo quidem gratias agunt: adeo ex rerū prosperitate luxuria, ex luxuria uero, ut uitia omnia, sic impietas aduersus deum nascitur. Quanam istud ex causa fieri putemus: nisi esse aliquam peruersam potestatem, quæ ueritatis sit semper inimica, quæ humanis erroribus gaudeat, cui unicum ac perpetuum sit opus offundere tenebras, & hominum cæcare mentes, ne lucem uideant, ne deniq; in cœlum aspiciant, ac naturam corporis sui seruent. Nam quū cæteri animantes pronis corporibus in humum spectent, quia rationem ac sapientiam non acceperunt, nobis autem status rectus, sublimis uultus ab artifice deo datus sit: apparet istas religiones deorum non esse rationis humanæ, quia curuant cœleste animal ad uenenda terrena. Parens enim noster ille unus & solus, quum fingeret hominem, id est animal intelligēs & rationis capax, eum uero ex humo subleuauit & ad contemplationem sui artificis erexit: quod optime ingeniosus poëta signauit:

Hominis ratio
ac officium.

Ouidius. Prona q̄ quum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumq; uidere
Iussit, & erectos ad sydera tollere uultus.

Hinc utique ἀβήρωστρον Græci appellant, quod sursum spectet. Ipsi ergo sibi renunciant, sed hominum nomine abdicant, qui non sursum aspiciant, sed deorsum: nisi forte id ipsum quod recti sumus, sine causa homini attributum putant. Spectare nos cœlum deus uoluit, utiq; non frustra: nam & aues, & ex mutis penè omnia cœlum uident: sed nobis proprie datum est cœlum rigidis ac stantibus uidere, ut religionem ibi quaeramus, ut deum, cuius sedes illa est, quem oculis non possumus, animo cōtemplemur: quod profectò non facit, qui æs aut lapidem, quæ sunt terra, ueneratur. Est autem prauissimum, quum ratio corporis recta sit, quod est temporale: ipsum uero animū, qui est æternus, humilem fieri: quum figura & status nihil aliud significant, nisi mentem hominis eò spectare oportere, quò uultū, & animum tam rectum esse debere, quàm corpus, ne id cui dominari debet, imitetur. Verum homines & nominis sui & rationis obliti, oculos suos ab alto dei ciunt, soloq; defigunt, atque timent opera digitorum suorum, quasi quicquā esse possit artifice suo maius.

Quæ fuerit prima causa fingendi simulacra: Et quod uerissima dei imago est homo:

Et quod extra se deum nemo fideliter colit.

Cap. II



Væ igitur amentia est, aut ea fingere, quæ ipsi postmodū timeant, aut timere quæ finxerint: Non ipsa, inquiunt, timemus, sed eos ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus consecrata sunt. Nempe ideo timetis, quod eos esse in cœlo arbitramini: neq; enim si dii sunt, aliter fieri potest. Cur igitur oculos in cœlum non tollitis: & aduocatis deorum nominibus, in aperto sacrificia celebratis: Cur ad parietes, & ligna, & lapides potissimum, quàm illò spectatis, ubi eos esse creditis: Quid sibi templa: quid aræ uolunt: Quid denique ipsa simulacra, quæ aut mortuorum, aut absentium monumenta sunt: Nam omnino fingendarum similitudinū ratio idcirco ab hominibus inuenta est, ut posset eorum memoria retineri, qui uel morte substracti, uel absentia fuerant separati. Deos igitur in quorum numero reponemus: Si in mortuorum, quis

Simulacra cur
ab hominibus
inuenta.

A quis tam stultus, ut colat? Si in absentiu, colendi ergo non sunt, si nec uident quæ facimus, nec audiunt quæ precamur. Si autem dii absentes esse non possunt: qui, quoniam diuini sunt, in quacuncq; mundi parte sunt uident, & audiunt uniuersa: superuacua ergo sunt simulacra illis ubiq; præsentibus: quū satis sit audientiū nomina precibus aduocare. At enim præsentibus non nisi ad imagines suas adsunt: ita planè, quemadmodum uulgus existimat mortuorū animas circa tumulos, & corporum suorum reliquias oberrare. Sed tamen postquam deus ille præstò esse cœpit, iam simulacro eius opus nō est. Quæro enim, si quis imaginem hominis peregre constituti contempletur sapius, ut ex ea solatium capiat absentis, num idem sanus esse uideatur, si eo reuerso atq; præsentibus, in contemplanda imagine perseueret, eaq; potius q̄ ipsius hominis aspectu frui uelit? minime profectò. Etenim hominis imago necessaria tum uidetur, quū procul abest: superuacua futura, quum præstò est. Dei autem, cuius spiritus ac numen ubiq; diffusum, abesse nunquā potest, semper utique imago superuacua est. Sed uerentur ne omnis eorum religio inanis sit & uacua, si nihil in præsentibus uideant, quod adorent: & ideo simulacra constituant, quæ quia mortuorum sunt imagines, similia mortuis sunt, omni enim sensu carent. Dei autem in æternū uiuentis, uiuum & sensibile debet esse simulacrū. Quod si à similitudine id nomen accepit, quomodo possunt ista simulacra deo similia iudicari, quæ nihil sentiunt, nec mouentur? Itaq; simulacrū dei non illud est, quod digitis hominis, & lapide, aut ære, aliæue materia fabricatur: sed ipse homo, quoniā & sentit, & mouetur, & multas magnasq; actiones habet. Nec intelligunt homines ineptissimi, quod si sentire simulacra, & moueri possent, ultrò adoratura homines fuissent, à quibus sunt expolita: quæ essent aut incultus & horridus lapis, aut materia informis & rudis, nisi fuissent ab homine formata. Homo igitur illorum quasi parens putandus est, per cuius manus nata sunt, per quem speciem, si guram, pulchritudinem habere cœperunt. Et ideo melior est qui fecit, quàm illa quæ facta sunt. Et tamen factorē ipsum nemo suscipit, aut uerec: quæ fecit timet, tanquā plus possit esse in opere, quàm in opifice. Recte igitur Seneca in libris moralibus: Simulacra, inquit, deorum uenerantur, illis supplicat genu posito, illa adorant, illis per totum assident diem, aut astant, illis stipem iaciunt, uictimas cadunt: & quū hæc tantopere suspiciant, fabros qui illa fecere, cōtemnunt. Quid inter se tam contrariū, quàm statuarum despiciere factorem, statuam adorare, & eum ne in conuictū quidem admittere, qui tibi deos faciat? Quam ergo uim, quam potestatem habere possunt, quū ipse, qui fecit illa, non habeat? Sed ne hæc quidē dare his potuit, quæ habebat, uidere, audire, loqui, moueri. Quisquam ne igitur tam ineptus est, ut putet aliquid esse in simulacro dei, in quo ne hominis quidem quicquam est, præter umbram? sed hæc nemo considerat, infecti sunt enim persuasione, ac mentes eorum penitus succum stultitiæ perbiberunt. Adorant ergo insensibilia, qui sentiūt: irrationabilia, qui sapiunt: exanima, qui uiuūt: terrena, qui oriuntur è cœlo. Iuuat ergo uelut in aliqua sublimi specula constitutum, unde uniuersi exaudire possint, Persianum illud proclamare:

O curuæ in terras animæ, & cœlestium inanes.

Cœlū potius intuemini, ad cuius spectaculū uos excitauit ille artifex uerus deus, Ille uobis sublimem uultum dedit, uos in terrā curuamini, uos altas mentes, & ad patrem suum cum corporibus suis erectas, ad inferiora deprimitis, tanquam uos pœniteat, non quadrupedes esse natos. Fas non est cœleste animal cum terrenis, in terramq; uergentibus uersari. Quid uos beneficijs cœlestibus orbat, proniq; in terrā ueltra sponte procūbitis? Humi enim miseri uolutamini, quum deorsum

Imago dei superuacua.

Homo simulacrum dei.

suspicit

Cquaritis, quod in sublimi quærere debuistis. Nam ista mortalium digitorum ludra, & fragilia figmenta, ex quolibet materiæ genere formata, quid aliud sunt nisi terra ex qua nata sunt? quid ergo rebus inferioribus subiaceris? quid capitibus uestris terram superponitis? Quum ergo uos terræ submittitis, humilioresq; facitis, ipsi uos ultrò ad inferos mergitis, ad mortemq; damnatis, quia nihil terra inferius & humilius, nisi mors & inferi: quæ si effugere uelletis, subiectam pedibus uestris terram cõtemneretis, corporis statu saluo: quod idcirco rectũ accepistis, quod oculos atq; mentem cum eo qui fecit, conferre possitis. Cõtemnere autem & calcare terrã nihil aliud est, q̃ simulacra non adorare, quia de terra ficta sunt: item diuitias non cõcupiscere, uoluptates corporis spernere, quia opes et corpus ipsum, cuius hospitio utimur, terra est. Viuum colite, ut uiuatis. Moriatur enim necesse est, qui se suamq; animam mortuis adiudicauit.

Quod Cicero & alij, qui uidebantur sapientes, cæteris deterius peccauerunt.

Cap. III



Cic. uanitatem religionum intelligēs, noluit eam publice disputationibus extinguere.

Ed quid prodest, ad uulgus & ad homines imperitos hoc modo concionari? quum uideamus etiam doctos & prudentes uiros, quum religionũ intelligant uanitatem, nihilominus tamen in ijs ipsis, quæ damnant, colendis (nescio qua prauitate) perstare. Intelligebat Cicero falsa esse, quæ homines adorarent. Nam quum multa dixisset, quæ ad euerfionem religionum ualere, ait tamen nõ esse illa uulgò disputanda, ne susceptas publice religiones disputatio talis extinguat. Quid ei facies? qui quum errare se sentiat, ultrò ipse in lapides impingat, ut populus omnis offendat: ipse sibi oculos eruat, ut omnes cæci sint: qui nec de alijs bene mereatur, quos patitur errare: nec de seipso, qui alienis accedit erroribus: nec utitur tandem sapientiæ suæ bono, ut factis impleat, quod mente percepit, sed prudens & sciens pedem laqueo inserit, ut simul cum cæteris, quos liberare ut prudentior debuit, & ipse capiatur. Quin potius, si quid tibi Cicero uirtutis est, experire populum facere sapientẽ: digna res est, ubi omnes eloquentiæ tuæ uires exeras. Non enim uerendum est, ne tibi in tam bona causa deficiat oratio, qui sæpe etiam malas copiose ac fortiter defendisti. Sed nimirum Socratis carcerem times, ideoq; patrociniũ ueritatis suscipere non audes. At mortem ut sapiens contemnere debuisti. Erat quidem multo pulchrius, ut ob bene potius dicta, quàm ob maledicta morereris: nec tibi laudis plus Philippicæ asferre potuerunt, quàm discussus error humani generis, & mentes hominum ad sanitatem tua disputatione reuocata. Sed concedamus timiditati, quæ in sapiente esse non debet. Quid ergo ipse in eodem uersaris errore? uideo te terrena, & manufacta uenerari: uana esse intelligis, & tamen eadem facis, quæ faciunt ipsi, quos ipse stultissimos cõfiteris. Quid igitur profuit uidisse te ueritatem, quam nec defensus es, nec secuturus? Sed si libenter errant ij, qui errare se sentiunt, quanto magis uulgus indoctum, quod pompis inanibus gaudet, animisq; puerilibus spectat omnia, oblectatur friuolis, & specie simulacrorum capitur, nec ponderare secum unamquamque rem potest, ut intelligat nihil colendum esse, quod oculis mortalibus cernitur, quia necesse est mortale sit. Nec mirandum esse, si deum nõ uideant, quum ipsi ne quidem hominem uideant, quem uidere se credunt. Hoc enim quod oculis subiectum est, non homo, sed hominis receptaculum est, cuius qualitas & figura non ex lineamentis uasculi, quo continetur, sed ex factis & moribus peruidetur. Qui ergo colunt simulacra, corpora sunt animabus carentia: quia se corporalibus dederunt, nec uident plus aliquid mente quàm corpore, quum sit animi officium ea subtilius cernere, quæ acies corporalis non potest intueri. Quos homines idem ille philosophus ac poëta grauiter accusat, tanquã humiles & abiectos, qui

Vulgus pompis inanibus gaudet.

Lucretium.

A qui contra naturæ suæ rationem ad ueneranda terrena se prosternant. Ait enim:

Et faciunt animos humiles formidine diuûm.

Depressosq; premunt ad terram.

Aliud quidem ille, quum hoc diceret, sentiebat: nihil utiq; esse colendum, quia dij humana non curent, Deniq; alio loco religiones deorum & cultus, inane esse officium confitetur.

Nec pietas ulla est uelatum sæpe uideri

Vertit ad lapidem, atq; omnes accedere ad aras,

Et procumbere humi prostratum, & pandere palmas

Ante deûm delubra, nec aras sanguine multo

Spargere quadrupedum, nec uotis neçtere uota.

Quæ profectò si casta sunt, non oportet sublimes & excelsos animos auocari, atque in terrâ premi, sed nihil aliud, quàm cœlestia cogitare. Impugnatae sunt ergo à prudentioribus falsæ religiones, quia sentiebant esse falsas: sed non est inducta uera, quia qualis aut ubi esset ignorabant. Itaque sic habuerunt tanquam nulla esset omnino, quia ueram non poterant inuenire. Et eodem modo inciderunt in erro-

*Falsa religio
impugnata,
sed non indu-
cta uera.*

rem multo maiorē, quàm illi, qui falsam tenebant. Nam & isti fragilium cultores, quamuis sint inepti, quia cœlestia constituunt in rebus corruptibilibus atq; terrenis, aliquid tamen sapientiæ retinent, & habere ueniam possunt, quia summū hominis officium, etsi non re ipsa, tamen proposito tenent. Siquidem hominum atq; mutorum, uel solum, uel certe maximum in religione discrimen est. Hi uero quanto fuerūt sapientiores, quod intellexerūt falsæ religionis errorem, tanto facti sunt stultiores, quod esse aliquam ueram non putauerunt. Itaq; quoniam facilius est de

B alienis iudicare, quàm de suis, dum aliorum præcipitium uident, non prospexerūt quid ante suos pedes esset. In utraque igitur parte & summa stultitia inuenitur, & odor quidam sapientiæ, ut possis dubitare, quos dicas potissimū stultiores, illos ne qui falsam religionem suscipiunt, an eos, qui nullam. Sed (ut dixi) uenia concedi posset imperitis, & qui se sapientes esse non fateantur: his uero non potest, qui sapientiam professi, stultitiā potius exhibent. Non sum equidem tam iniquus, ut eos

*Veritas nisi do-
ceatur, sciri nō
potest.*

putem diuinare potuisse, ut ueritatem per seipos inuenirent, quod fieri ego non posse confiteor: sed hoc ab his exigo, quod ratione ipsa præstare potuerunt. Face-

rent enim prudentius, si & intelligerent esse aliquam ueram religionē, & falsis impugnantis aperte pronuntiarent eam, quæ uera esset, ab hominibus nō teneri. Sed mouit eos fortasse illud, quod si qua uera esset religio, exereret se ac uindicaret, nec pateretur esse aliud quicquam. Videre enim nullo modo poterant, quare, aut quomodo, & quemadmodū religio uera opprimeretur, quod est diuini sacramenti, & cœlestis arcani. Id uero nisi doceatur, aliquis scire nullo pacto potest. Summa rei hæc est. Imperiti & insipientes falsas religiones pro ueris habent, quia neq; ueram sciunt, neq; falsam intelligunt. Prudentiores uero, quia ueram nesciunt, aut in

ijs, quas falsas esse intelligunt, perseverant, ut aliquid tenere uideantur: aut omnino nihil colunt, ne incidant in errorē: quum id ipsum maximi sit erroris, uitam peccudum sub figura hominis imitari. Falsum uero intelligere est quidem sapientiæ, sed humanæ. Ultra hunc gradum procedi ab homine non poterit. Itaq; multi philosophorū religiones (ut docui) sustulerūt. Verum autem scire diuinæ est sapientia. Homo autem per seipsum peruenire ad hanc scientiam non potest, nisi doceatur à deo. Philosophi quod summū fuit humanæ sapientiæ assecuti sunt, ut intelligerent, quod non sit: illud assequi nequiuertunt, ut dicerent quid sit. Nota Cicero nis uox est: Vt nā tam facile uera inuenire possem, q̄ falsa cōuincere. Quod quia

*Falsa intelli-
gere potest sa-
pientia huma-
na.*

C uires humanæ conditionis excedit, eius officij facultas nobis est attributa, quibus tradidit deus scientiã ueritatis, cui explicandæ quatuor posteriores libri seruient. Nunc interim falsa, ut cœpimus, detegamus.



Quod nil maiestatis & reuerentiæ habeant idola. Cap. IIII

Vid igitur maiestatis possunt habere simulacra, quæ fuerunt in hominuli potestate, uel ut aliud fierent, uel ut omnino non fierent: idcirco apud Horatium Priapus ita loquitur:

Quum tu uncus eram ficulus, inutile lignum,
Quum faber incertus scamnum faceret ne Priapum,
Maluit esse deum: deus inde ego furum, auiumq;
Maxima formido.

Quis non sit tanto hoc custode securus? Fures enim tam stulti sunt, ut Priapi tentiginem timeant, quã aues ipsæ, quas terrore falcis, aut inguinis abigi existimant, simulacris fabrefactis, id est hominum planè similibus, insideant, nidificent, inquirunt. Sed Flaccus, ut Satyrici carminis scriptor, derisit hominum uanitatem. Verum ij qui faciunt, seriam se facere rem opinantur. Denique poëta maximus, homo in cæteris prudens, in hoc solum nõ poëtica, sed aniliter desipuit, quum in illis emendatissimis libris etiam fieri hoc iubet:

Virgilius in
Georgicis.

Et custos furum atq; auium cum falce saligna,
Hellepontiaci seruet tutela Priapi.

Adorant ergo mortalia, aut à mortalibus facta: frangi enim, cremari possunt, ac perire. Nam & tectis uetustate labentibus sæpe cõminui solent, & consumpta incendio dilabuntur in cinerem: & plerunq; (nisi sua illis magnitudo subuenerit, aut custodia diligens sepsierit) in prædam furibus cedunt. Quæ igitur insania est ea time re, pro quibus aut ruinæ, aut ignes, aut furta timeantur? quæ uanitas, aliquam ab his sperare tutelam quæ tueri semetipsa non possunt? quæ peruersitas, ad eorum præsidia decurrere, quæ ipsa, quum uiolantur, inulta sunt, nisi à colentibus uindictent? Vbi ergo ueritas est? ubi nulla uis adhiberi potest religioni, ubi nihil quod uiolari possit, apparet, ubi sacrilegium fieri nõ potest. Quicquid autem oculis, manibusq; subiectum est, id uero, quia fragile est, ab omni ratione immortalitatis est alienum. Frustra igitur homines auro, ebore, gemmis deos excolunt & exornant: quasi uero ex his rebus ullam possint capere uoluptatẽ. Quis usus est preciosorum munerum nihil sentientibus? an ille qui mortuus? Pari enim ratione defunctorum corpora, odoribus ac preciosis uestibus illita & couoluta humi cõdunt, qua deos honorant: qui neq; quum fierent, sentiebãt: neq; quum coluntur, sciunt: nec enim sensum consecratione sumpserunt. Non placebat Persio, quod aurea uasa templis inferantur, superuacuum putanti esse inter religiones, quod nõ sanctitatis, sed auaritiæ sit instrumentum. Illa enim satius est deo, quem recte colas, inferre pro munere,

Compositum ius fasq; animi, sanctosq; recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.

Egregie sapienterq; sensit. Verum illud ridiculum subdidit: hoc esse aurum in templis, quod sint Veneri donatæ à uirgine puppæ, quas illa omittere fortasse contempsit. Nõ uidebat enim simulacra ipsa & effigies deorum, Polycleti, & Euphranoris, & Phidiæ manu ex auro atque ebore perfectas, nihil aliud esse quàm grandes puppas, non à uirginibus, quarum lusibus ueniã dari potest, sed à barbatis hominibus cõsecratas. Meritò igitur etiam senum stultitiã Seneca deridet. Non, inquit, bis pueri sumus (ut uulgo dicitur) sed semper. Verum hoc interest, quod imiores nos ludimus. Ergo his ludicris, & ornatis, & grandibus puppis, & unguenta, & thura,

Imaiores

A & thura, & odores inferunt. His opimas & pingues hostias immolant, quibus est quidem os, sed carent officio dentium. His peplos & indumenta preciosa, quibus usus uelaminis nullus est. His aurum & argentū consecrant: quæ tam non habent qui accipiunt, quàm qui illa donarunt. Nec immeritò Dionysius Siciliæ tyrannus post uictoriã Græcia potitus, deos tales cõtempfit, spoliavit, illudit. Siquidem sacri legia sua iocularibus etiam dictis prosequabatur. Nam quū Ioui Olympio aureū amictum detraxisset, laneum iussit imponi: dicens; æstate esse grauem aureū, hyeme frigidū, laneum uero utriq; temporis aptum. Idem auream barbam detrahens Aesculapio, incongruens & iniquum esse ait, quum Apollo pater eius imberbis esset adhuc ac leuis, priorem filium, quàm patrem barbatum uideri. Item pateras, & exuias, & parua quædam sigilla, quæ simulacrorū protentis manibus tenebantur, detrahebat: & accipere se illa, nō auferre dicebat: Perquam enim stultum esse & ingratum, nolle accipere ab his ultrò porrigentibus, à quibus bona sibi homines precarentur. Hæc enim fecit impune, quia rex & uictor fuit. Quinetiam secuta est eum solita felicitas: uixit enim usque ad senectutem, regnumq; per manus filio tradidit. In eo igitur quia homines sacrilegia uindicare non poterant, oportuit deos ipsos sui uindices esse. At si humilis quid tale cõmiserit, huic præstò sunt flagella, ignes, eculi, cruces, & quicquid excogitare iratis & furētibus licet. Sed quū puniunt deprehensos in sacrilegio, ipsi de deorum suorum potestate diffidūt. Cur enim illis potissimum non relinquunt ulciscendi sui locum, si eos posse aliquid arbitrantur? Quinetiam putant illorū numine accidisse, ut prædones rerum sacrarum deprehensi tenerentur, & sæuiunt non tam ira, quàm metu: ne si deorum iniuriã nō uindicauerint, ipsos expetant pœnæ, incredibile scilicet uanitate, qui nocituros sibi deos putent ob aliena scelera: qui ipsis, à quibus uiolati spoliatiq; sunt, per seipsos nihil nocere potuerunt. At enim sæpe ipsi quoq; in sacrilegos uindica uerunt: potest id uel casu accidisse, quod aliquando, non semper. Sed tamen paulò post, quando id acciderit, ostendam. Sed quæro, cur illi tot & tanta sacrilegia in Dionysio non uindicauerūt, qui non furtim, sed palàm deos ludibrio habuit: Cur hunc tam potentē sacrilegū à templis, à ceremonijs, ab imaginibus suis non arcuerunt? Cur etiam sacris rebus ablati prospere nauigauit? quod ioco ipse testatus est, ut solebat: Videtis ne (inquit comitibus suis naufragium timentibus) q̄ prospera sacrilegis nauigatio ab ipsis dijs immortalibus tribuatur? Sed hic fortasse à Platone didicerat, deos nihil esse. Quid Caius Verres, quē Tullius accusator eius eidem Dionysio, & Phalaridi, & tyrannis omnibus cõparat: nōne omnem Siciliam cõpilauit, sublati deorum simulacris, ornamentisq; fanorum? Ociosum est persequi singula: unum libet commemorare, in quo accusator omnibus eloquentiæ uiribus, omni deniq; conatu uocis & corporis deplorauit, de Cerere Catanensi, uel Ennensi, quarum alterius tanta fuit religio, ut adire templi eius secreta penetralia uiris nefas esset. Alterius antiquitas tanta fuit, ut omnes historiæ loquantur, ipsam deam fruges in Ennæ solo primum reperisse, filiamq; eius uirginem ex eodem loco raptam. Deniq; Gracchanis tēporibus, turbata Republica & seditionibus & ostentis, quū repertū esset in carminibus Sibyllinis antiquissimã Cererem debere placari, legati sunt Ennam missi. Hæc igitur Ceres uel religiosissima, quã uidere maribus ne adorandi quidē gratia licebat: uel antiquissima quã, S. P. Q. R. sacrificijs donisq; placauerat, ex arcanis & uetustis penetralibus à C. Verre immissis latronibus feruis, impune sublata est. Idem uero, quum affirmaret se à Siculis, ut causam prouinciæ susciperet, oratū, his uerbis usus est: Sese iam ne deos quidem in suis urbibus, ad quos cõfugerent, habere: quod eorū simulacra sanctissima


Dionysij tyranni sacrilegia.

Verris sacrilegia.

C. Verres ex delubris religiosissimis sustulisset: quasi uero si Verres ex urbibus delubrisq; sustulerat, de caelo quoq; sustulisset. Vnde apparet istos deos nihil habere in se amplius, q̄ materiā, de qua sunt fabricati. Nec immerito ad te M. Tulli, hoc est ad te ipsum hominē Siculi confugerūt: quoniam triennio sunt experti deos illos nihil ualere. Essent enim stultissimi, si ad eos ob defendēdas iniurias hominū, cōfugissent, q̄ C. Verri nec pro seipsis irati esse potuerūt. At enim Verres ob hęc facinora damnatus est. Nō ergo dii uindicauerūt, sed Ciceronis industria, qua uel defensores eius oppressit, uel gratiā restitit. Quid, quod apud ipsum Verrem nō fuit illa damnatio, sed uacatio: ut quemadmodū Dionysio deorum spolia gestanti, dii immortales bonam dederant nauigationē, sic etiam Verri bonam quietem tribuisse uideātur, in qua sacrilegijs suis tranquille frui posset. Nam frementibus postea ciuilibus bellis, sub obtentu damnationis ab omni periculo & metu remotus, aliorū graues casus, & miserabiles exitus audiebat: & qui cecidisse solus omnibus stantibus uidebat, is uero uniuersis cadentibus solus stetit: donec illum & opibus sacrilegio partis, & uita satiatū ac senectute confectum, proscriptio triumuiralis auferret, eadem scilicet quæ Tullium uiolata deorū maiestatis ultorē abstulit. Quin etiam felix in eo ipso fuit, quod ante suam mortem crudelissimū exitum sui accusatoris audiuit: dijs uidelicet prouidentibus, ut sacrilegus ac prādo ille religionum suarum, non antè moreretur, quā solatium de ultione cepisset.

Verres da-
mnatus.

Quod solus omnium creator uerus deus est, solusq; colendus: nec elementa, nec corpora coelestia alia quid diuinitatis habent: in quo & Stoici desipiunt, qui stellas deos putant, quæ nō sua uoluntate mouentur, sed dei: & qua ratione eas sic fieri uoluit. Cap. V

D  Vanto igitur rectius est, omissis insensibilibus & uanis, oculos eō tendere, ubi sedes, ubi habitatio est dei ueri, qui terram stabili firmitate suspendit, qui caelum distinxit astris fulgētibus, qui Solem rebus humanis clarissimū ac singulare lumen, in argumentū suæ unicæ maiestatis accendit. Terris autē maria circūfudit, flumina sempiterno lapsu fluere praecepit.

Iussit & extendi campos, subsidere ualles,

Fronde tegi syluas, lapidosos surgere montes.

Quæ utique omnia non Iupiter fecit, qui ante annos mille septingentos natus est: sed idem

Ille opifex rerum, mundi melioris origo,

qui uocatur deus, cuius principium, quoniam non potest comprehendī, ne quaeri debet quidem. Satis est hominī ad plenam perfectamq; prudentiam, si deum esse intelligat, cuius intelligentiæ uis, & summa hęc est, ut suscipiat & honorificet communem parentem generis humani, & rerum mirabiliū fabricatorem. Vnde quidam hebetis obtusiq; cordis, elementa, quæ & facta sunt, & carent sensu, tanquam deos adorant: qui quū dei opera mirarentur, id est caelum cum luminibus uarijs, terrā cum campis & montibus, maria cum fluminibus & stagnis & fontibus, earum rerum admiratione obstupescit, & ipsius artificis obliti, quem uidere non poterant, eius opera uenerari & colere cœperunt: nec unquam intelligere quierunt, quanto maior, quantoq; mirabilior sit, qui illa fecit ex nihilo. Quæ quum uideant diuinis legibus obsequentia, cōmodis atq; usibus hominū perpetua necessitate famulari, tamen illa deos existimāt esse, ingrati aduersus beneficia diuina, qui deo patri indulgentissimo sua opera prætulerunt. Sed quid mirum, si aut barbari, aut imperiti homines errant: quum etiam ipsi philosophi Stoicæ disciplinæ in eadem sint opinione, ut omnia coelestia, quæ mouentur, in deorū numero habenda esse censeant. Siquidē Lucillius Stoicus apud Cic. sic loquit: Hanc igitur in stellis constantiam

Elementa instar
deorū adorata

Coelestia quæ
mouentur oīa
in deorum nu-
mero habita.

A constantiam, hanc tantam in tam uarijs cursibus, in omni æternitate cōuenientiam temporum, nō possum intelligere sine mente, ratione, cōsilio. Quæ quum in syderibus esse uideamus, non possumus ea ipsa non in deorum numero ponere. Item paulò superius: Restat, inquit, ut motus astrorum sit uoluntarius: quæ qui uideat, nō indocte solum, uerū etiam impie faciat, si deos esse neget. Nos uero & quidem constanter negamus, ac uos ô philosophi non solum indoctos & impios, uerum etiam cæcos, & ineptos, delirosq; probamus, qui ignorantiam imperitorum uanitate uicistis. Illi enim Solem & Lunam, uos etiam sydera deos putatis. Tradite igitur nobis stellarum mysteria, ut aras & templa singulis erigamus: ut sciamus quo quanque ritu, quo die colamus, quibus nominibus, quibus precibus aduocemus: nisi forte nullo discrimine tam innumerabiles, tam minutos deos aceruatum colere debemus. Quid, quod argumentum illud, quo colligūt uniuersa cœlestia deos esse, in contrariū ualet? nam si deos esse idcirco opinantur, quia certos & rationabiles cursus habēt, errant. Ex hoc enim apparet deos nō esse, quod exorbitare illis à præstitutis itineribus non licet. Cæterū si dii essent, huc atq; illuc passim sine ulla necessitate ferrentur, sicut animātes in terra, quorum quia liberae sunt uoluntates, huc atq; illuc uagantur, ut libuit: & quō quanq; mens duxerit, eō fertur. Non est igitur astrorū motus uolūtarius, sed necessarius, quia præstitutis legibus officijsq; deseruiunt. Sed quum disputaret de cursibus syderū, quos ex ipsa rerum ac temporum cōgruentia intelligebat nō esse fortuitos, existimauit uoluntarios esse, tanquam non possent tam disposite, tam ordinate moueri, nisi sensus illis inesset officij sui sciens. O quā difficilis est ignorātibz ueritas, & q̄ facilis scientibus. Si motus, inquit, astrorum fortuiti non sunt, nihil aliud restat, nisi ut uoluntarij sint: imò uero ut nō esse fortuitos manifestum est, ita nec uoluntarios. Quomodo igitur in cōficiendis itineribus constantiam suam seruant? Nimirū deus uniuersi artifex sic illa disposuit, sic illa machinatus est, ut per spacia cœli, diuina & admirabili ratione decurrerent, ad efficiendas succedentiū sibi temporū uarietates. An Archimedes Sículus cōcauo ære similitudinem mundi, ac figuram potuit machinari, in quo ita Solem ac Lunam cōposuit, ut inæquales motus & cœlestibus similes conuersionibus singulis quasi diebus efficerent: & nō modo accessus Solis & recessus, uel incrementa diminutionesq; Lunæ, uerum etiam stellarū uel errantiū, uel uagarum dispares cursus, orbis ille dum uerūtur, exhiberet? deus ergo illa uera non potuit machinari & efficere, quæ potuit solertia hominis imitatione simulare? Vtrum ne igitur Stoicus, si astrorum figuras in illo ære pictas effictasq; uidisset, suo illa consilio moueri diceret, ac non potius artificis ingenio? inest ergo syderibus ratio ad peragendos meatus suos apta: sed dei est illa ratio, qui & fecit & regit omnia, non ipsorum syderū, quæ mouentur. Nam si solem stare uoluisset, perpetuus dies utiq; esset. Item si motus altra nō haberent, quis dubitet sempiternam noctem fuisse futuram: Sed ut diei ac noctis uices essent, moueri ea uoluit, & tam uarie moueri, ut non modo lucis ac tenebrarū mutæ uicissitudines fierent, quibus laboris & quietis alterna spacia cōstarent, sed etiam frigoris & caloris, & diuersorum temporum uis ac potestas, uel generandis uel maturandis frugibus conueniret. Quam solertiam diuinæ potestatis in machinandis itineribus astrorū quia philosophi non uidebant, animalia esse sydera putauerunt, tanquam pedibus, & sponte, non diuina ratione procederent. Cur autem excogitauerit illa deus, quis non intelligit? scilicet ne Solis lumine decedente, nimum cæca nox tetris atq; horrentibus tenebris ingrauesceret, noceretq; uiuentibus. Itaq; & cœlū simul mira uarietate distinxit, & tenebras ipsas multis minutisq; luminibus tēperauit. Quanto igit Naso sapiētius,

Archimedis
sphaera.

Philosophi sy-
dera animalia
putauerunt.

c quàm illi, qui sapientiæ studere se putant, qui sentit à deo lumina, ut horrorem tenebrarum depellerent, instituta: Is eum librum, quo *φαινόμενα* breuiter comprehendit, his tribus uersibus terminauit:

Tot numero, talique deus simulacra figura
Imposuit cælo, perque atras sparsa tenebras
Clara pruinosæ iussit dare lumina nocti.

Quod si fieri nō potest, ut stellæ dii sint, ergo nec sol quidem, nec luna dii esse possunt: quoniam à luminibus astrorū nō ratione differunt, sed magnitudine. Quod si hi dii non sunt, ergo nec cælum quidem, in quo illa omnia continentur.

Quod nec terra, nec aqua, nec pars aliqua mundi, nec totus ipse deus est: nec est animatus, sicut

Stoici mentiuntur, qui quod astruunt, pariter & euertunt. Cap. VI



Imili modo si terra, quam calcamus, quā subigimus & colimus ad uictum, deus non est: nec campi quidē ac montes dii erunt. Sed si hi non sunt, ergo ne tellus quidem uniuersa deus uideri potest. Item si aqua, quæ seruit animantibus ad usum bibendi aut lauandi, deus non est:

nec fontes quidem, ex quibus aqua profluit. Si fontes non sunt, nec flumina quidem, quæ de fontibus colliguntur. Si flumina quoque dii non sunt, ergo & mare, quod ex fluminibus constat, deus haberi non potest. Quod si neque cælum, neque terra, neque mare, quæ mūdi partes sunt, dii esse possunt, ergo ne mundus quidem

*Stoici mūdum
& animantem
& sapientē asserunt.*

D totus deus est: quem iisdem ipsi Stoici animantem, & sapientem esse cōtendunt, & propterea deum: in quo tam incōstantes fuerūt, ut nihil dictum sit ab his, quod nō ab iisdem fuerit euersum. Sic enim argumentantur: Fieri nō posse, ut sensu careat, quod sensibilia ex se generat: Mundus autem generat hominē, qui est sensu præditus, ergo & ipsum sensibilem esse. Item sine sensu esse nō posse, cuius pars habeat sensum. Igitur quia homo sensibilis est, etiam mundo, cuius pars homo est, inesse sensum. Propositiones quidem ueræ sunt: & sensibile esse, quod sensu præditū gignat, & habere sensum, cuius pars sensu aucta sit. Sed assumptiones falsæ, quibus argumenta cōcludunt: quia neque mūdus generat hominē, neque mundi homo pars est: nam hominē à principio idem deus fecit, qui & mūdū: & non est mundi pars homo, sicut corporis membrū. Potest enim mūdus esse sine homine, sicut & urbs, & domus. Atqui ut domus unius hominis habitaculum est, & urbs unius populī, sic & mundus domiciliū totius generis humani. Et aliud est quod incolitur, aliud quod colitur. Sed illi, dum student id, quod falsò susceperāt, cōfirmare, & sensibilem esse mūdū & deum, argumentorū suorū consequentiā nō uiderunt. Nam si mundi pars est homo, & sensibilis est mūdus, quia sentit: ergo quia mortalis est homo, mortalis sit & mundus necesse est: nec tantū mortalis, sed etiam omnibus morbis & passionibus subiectus. Et cōtrario, si deus est mundus, & partes eius utique immortales sunt, ergo & homo deus est, quia pars est (ut dicitis) mūdi: si homo, ergo iumenta & pecudes, & cætera genera bestiarū, & auium, & piscium, quoniam illa eodē modo sentiūt, & mundi partes sunt. At hoc tolerabile est: nam & hæc colunt Aegyptij: sed res eò peruenit, ut ranæ, & culices, & formicæ dii esse uideant: quia & ipsis inest sensus, & partes mundi sunt. Ita semper argumenta ex falso petita, ineptos & absurdos exitus habent. Quid, quod iisdem ipsi aiunt, deorū & hominum causa mundum esse constructum, quasi communem domum: Ergo nec mundus deus est, nec animans, si constructus est: animans enim non construitur, sed nascitur. Et si est ædificatus, sic utique tanquam domus, tanquam nauis: est ergo aliquis artifex mundi deus: & seorsum erit mundus, qui factus est, seorsum ille qui fecit. Iam illud quod repugnans & absurdū: Quod quum cœlestes ignes, cæteraque mundi elementa

Aegyptij bestias coluerūt

A elementa deos esse affirmant, item ipsum deum mundum dicunt: quomodo potest ex deorum multorum aceruo unus deus confici? si astra dii sunt, mundus ergo non deus, sed domicilium deorum est. Si uero deus mundus est, ergo omnia illa, quae sunt in eo, dii non sunt, sed dei membra, quae utique solius dei nomen accipere non possunt. Nec enim recte quis dixerit, membra hominis unius, multos homines esse: sed tamen non est similis comparatio animalis, & mundi. Animal enim quia sensu praeditum est, & membra eius habent sensum, nec nisi a corpore diuisa putrescunt. Cuius igitur rei similitudinem gerit mundus? Nimirum ipsi docent, quum factum esse non diffitentur, ut esset dijs & hominibus quasi communis domus. Si ergo est constructus ut domus, nec ipse deus est, nec elementa, quae sunt partes eius: quia neque domus habere dominium sui potest, neque illa, de quibus domus constat. Non tantum igitur ueritate, sed etiam uerbis suis reuincuntur. Sicut enim domus in usum habitandi facta, per se nihil sentit, dominoque subiecta est, qui eam fecit, aut incolit: ita mundus per se nihil sentiens, factori deo subiacet, qui eum in usum sui fecit.

Quod dupliciter peccant insipientes, & quod auaritia sub obtentu religionis colitur, praevalente ratione, traditione maiorum: & qui fuerint maiores, quorum autoritas praedicit ueritati. Cap. VII



Duplici ergo ratione peccatur ab insipientibus. Primum, quod elementa, id est dei opera deo praefertunt. Deinde quod elementorum ipsorum figuras humana specie comprehensas colunt. Nam Solis Lunaeque simulacra, humanum in modum formant: Item ignis, & terrae, & maris, quae illi Vulcanum, Vestam, Neptunum uocant, nec elementis ipsis in aperto litant. Tanta homines imaginum cupiditas tenet, ut iam uiliora dicantur illa, quae uera sunt, auro scilicet, gemmis, & ebore delectantur. Horum pulchritudo ac nitor praestringit oculos: nec ullam religionem putant ubicumque illa non fulserint. Itaque sub obtentu deorum, auaritia & cupiditas colitur. Credunt enim deos amare quicquid ipsi concupiscunt: quicquid est, propter quod furta, & latrocinia, & homicidia quotidie saeuunt, propter quod bella per totum orbem populos urbisque subuertunt. Consecrant ergo dijs manubias, & rapinas suas: quos certe necesse est imbecilles esse, ac summam uirtutis expertes, si subiecti sunt cupiditatibus. Cur enim caelestes eos putemus, si desiderant aliquid de terra? uel beatos, si aliqua re indigent? uel incorruptos, si uoluntati habent ea, in quibus appetendis cupiditas hominum non immerito damnata? Veniunt igitur ad deos, non tam religionis gratia, quae nulla potest esse in rebus male partis, & corruptilibus, quam ut aurum oculis hauriant, nitorem leuigati marmoris, aut eboris aspiciant, ut insignes lapillis & coloribus uestes, uel distincta gemmis fulgentibus pocula, insatiabili contemplatione contrectent. Et quanto fuerint ornatiore templa, & pulchriora simulacra, tanto plus maiestatis habere creduntur. Adeo religio deorum nihil aliud est, quam quod cupiditas humana miratur. Haec sunt religiones, quas sibi a maioribus suis traditas pertinacissime tueri ac defendere perseverant, nec considerant quales sint, sed ex hoc probatas ac ueras esse confidunt, quod eas ueteres tradiderunt: tantaque est autoritas uetustatis, ut inquirere in eam scelus esse ducatur. Itaque credunt ei passim tanquam cognitae ueritati. De nihilo apud Ciceronem sic dicit Cotta Lucillio: Habes Balbe quid Cotta, quid pontifex sentiat: fac nunc ut ego intelligam, quid tu sentias, a te enim philosopho rationem religionis accipere debeo. Maioribus autem nostris etiam nulla ratione reddita, rationis est credere. Si credis, cur ergo rationem requiris, quae potest efficere ne credas? Si uero rationem requiris, & quaerendam putas, ergo non credis. Si ideo quaeris, ut eam sequaris, cum inueneris, docet ecce te ratio non esse ueras religiones deorum. Quid facies?

Sub obtentu deorum uitiis coluntur.

Vetustatis auctoritas.

C maiores ne potius, an rationem sequeris? Quæ quidem tibi non ab alio insinuata, sed à teipso inuenta & electa est, quæ omnes religiones radicibus eruisit. Si rationem mauis, discedere te necesse est ab institutis & autoritate maiorum: quoniã id solum rectum est, quod ratio præscribit. Sin autem pietas maiores sequi suadet, fateris igitur & stultos illos fuisse, qui excogitatis cõtra rationem religionibus seruunt, & te ineptum, qui id colas, quod falsum esse conuinceris. Sed tamen quoniam nobis tantopere maiorum nomen opponitur, uideamus tamen qui fuerint maiores illi, à quorum autoritate discedi nefas ducitur. Romulus urbem conditurus, pastores inter quos adoleuerat, cõuocauit. Quumq; is numerus cõdendæ urbi parum idoneus uideretur, constituit asylum. Eo passim cõfugerunt ex finitimis locis pessimi quicq; sine ullo conditionis discrimine. Ita cõflauit ex his omnibus populum, legitq; in senatum eos, qui ætate anteibant, & patres appellauit, quorum cõsilio gereret omnia. De quo senatu Propertius Elegiarũ scriptor hæc loquitur:

Romulus asy-
lum constituit.

Curia, prætexto quæ nunc nitet alta senatu,

Pellitos habuit rustica corda patres.

Buccina cogebat priscos ad uerba quirites.

Centum illi in prato sæpe senatus erat.

Hi sunt patres, quorum decretis eruditi ac prudentes uiri deuotissime seruiabant. Idq; uerum, ac immutabile omnis posteritas iudicet, quod centum pelliti senes senatum esse uoluerunt: quos tamen (ut in primo libro dictum est) Pompilius illexit, ut uera crederent esse sacra, quæ ipse tradebat. Est uero cur illorũ autoritas tanti habeatur à posteris, quos nemo, quum uiuerent, neq; summus neq; infimus asinitate dignos iudicauit.

D Quod ratione potius innitendum est, & quæ miracula scripta sunt ad confirmationem erroris multorum. Cap. VIII



Quare oportet in ea re maxime, in qua uitæ ratio uersatur, sibi quenque confidere, suoq; iudicio ac proprijs sensibus niti, ad inuestigandam & perpendendã ueritatem, q; credentem alienis erroribus decipi, tanq; ipsum rationis expertem. Dedit omnibus deus pro uirili portione sapientiam, ut & inaudita inuestigare possent, & audita perpendere. Nec quia nos illi temporibus antecesserunt, sapientia quoque antecesserunt: quæ si omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non potest. Illibabilis est tanquã lux & claritas solis, quia ut sol oculorum, sic sapientia lumen est cordis humani. Quare quum sapere, id est ueritatem quærere, omnibus sit innatum, sapientiam sibi addunt, qui sine ullo iudicio inuenta maiorum probant, & ab alijs pecudum more ducuntur. Sed hoc fallit, quod maiorum nomine posito, non putant fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant, quia minores uocantur, aut illi desipuerint, quia maiores nominantur. Quid ergo impedit, quin ab ipsis sumamus exemplum? ut quomodo illi, qui falsa inuenerant, posteris tradiderunt: sic nos, qui uerum inuenimus, posteris meliora tradamus. Superest ingens quæstio, cuius disputatio non ab ingenio, sed à scientia uenit, quæ pluribus explicanda erit, ne quid dubium omnino relinquantur. Nam fortasse aliquis ad illa confugiat, quæ à multis & non dubijs traduntur autoribus, eos ipsos, quos docuimus deos non esse, maiestatem suã persæpe ostendisse & prodigijs, & somnijs, & augurijs, & oraculis. Et sanè multa enumerari possunt digna miraculo. In primis illud, quod Accius Nauius summus Augur, quum Tarquiniũ Priscum commoneret, ut nihil noui facere inciperet, nisi prius esset inaugurator: eiq; rex artis eius eludens fidẽ diceret, ut consultis auibus renunciaret sibi, utrum ne fieri posset id, quod ipse animo cõcepisset, affirmaretq;

Veritatẽ quæ
uere omnibus
est innatum.

Accius Nauius
augur.

Nauius

A Natiuus posse: Cape igitur hanc, inquit, cotem, eamq; nouacula disijce: at ille in unctanter accepit, ac secuit. Deinde illud, quod Castor & Pollux bello Latino apud lacum Iuturnæ, uisi sunt equorum sudorem abluentes, quum ædes eorum quæ iuncta fonti erat, sua sponte patuisset. Idem bello Macedonico equis albis insidentes, P. Vatinio Romam nocte uenienti se obtulisse dicuntur, nunciantes eo die regem Persen uictum atq; captum: quod paucis post diebus literæ Pauli uerū fuisse docuerunt. Illud etiam mirabile, quod simulacrum Fortunæ muliebris non semel locutū esse traditur. Item Iunonis Monetæ, quum captis Veijs unus ex militibus ad eam transferendam missus, iocabundus ac ludens interrogaret, utrum ne Romam migrare uellet: respondit, uelle. Claudia quoq; proponit in exemplo miraculi. Nam quū ex libris Sibyllinis Idæa mater esset accita, & in uado Tyberini fluminis nauis in qua uehebatur, hæssisset, nec ullo modo aut ulla uī commoueretur, Claudiam ferunt, quæ semper impudica esset habita ob nimios corporis cultus, deam submissis genibus orasse, ut si se castam iudicaret, suum cingulū sequeretur: ita nauim, quæ ab omni iuuentute non ualuit cōmoueri, ab una muliere esse commotam. Illud æque mirum, quod lue sæuiente Aesculapius Epidauro accitus, urbem Romam diuturna pestilentia liberaffe perhibetur. Sacrilegi quoque numeri rari possunt, quorum præsentibus pœnis iniuriam suam dii uindicasse creduntur. Appius Claudius Censor, quū aduersus responsum ad seruos publicos sacra Herculis transtulisset, luminibus orbatus est, & Potitiorum gens, quæ prodidit, intra unius anni tempus extincta est. Item Censor Fuluius, quum ex Iunonis Lacinia templo marmoreas tegulas abstulisset, quibus ædem Fortunæ equestris, quæ Romæ fecerat, tegeter, & mente captus est, & amissis duobus filijs in Illyrico militantibus, summo animi mœrore consumptus est. Præfectus etiam M. Antonij Turullius, quū apud Coos euerso Aesculapij luco classē fecisset, eodem postea luco à militibus Cæsaris est interfectus. His exemplis adiungitur Pyrrhus, qui sublata ex thesauro Proserpinæ Locrensis pecunia, naufragiū fecit, ac uicinis deæ litatoribus illisus est, ut nihil, præter eam pecuniā, incolume reperiretur. Ceres quoque Milesia multum sibi apud homines uenerationis adiecit. Nam quum ab Alexandro capta ciuitas esset, ac milites ad eam spoliandam irrupissent, omnium oculos repente obiectus fulgor ignis extinxit. Reperiuntur etiam somnia, quæ uim deorum uideantur ostendere. Tiberio nanque Attinjo homini plebeio per quietem obuersatus esse Iupiter dicitur, & præcepisse, ut c o s s. & senatui nunciaret, ludis Circensibus proximis præfultorem sibi displicuisse, quod Antonius Maximus quidam diuerberatum seruum sub furca medio circo ad suppliciū duxerat, ideoq; ludos instaurari oportere. Quod quum ille neglexisset, eodem die filiū perdidisse, ipse autem graui morbo est correptus. Et quum rursus eandem imaginem cerneret, quærentem, satis ne pœnarum pro neglecto imperio pependisset, lectica delatus ad Consules, & omni re in senatu exposita, recepisse corporis firmitatē, suisq; pedibus domum rediisse. Illud quoq; somnium non minoris fuit admiratio nis, quo Cæsar Augustus dicitur esse seruatus. Nam quum bello ciuili Brutiano, implicitus graui morbo abstinere à prælio statuisset, medico eius Artorio Mineruæ species obuersata est, monens, ne propter corporis imbecillitatē castris se contineret Cæsar: itaq; in aciem lectica perlatus est: eodē die à Bruto castra capta sunt. Multa præterea exempla similia possunt proferri, sed uereor, ne si fuero in propositione rerum contrariarum diutius immoratus, aut oblitus esse propositū uidear, aut crimen loquacitatis incurram.

Castor & Pol
lux uisi.

Claudia ue
stilis.

Vindicta deo
rum in sacrile
gos.

Attinij somnia

C Quod per inuidiam diaboli intrauit mors, & pullulant radices errorum: Et quod deus ipse natura est, qui materiam primordiale[m], & omnia fecit ex nihilo. Cap. IX



Xponam igitur omnium istorum rationem, quo facilius res difficiles & obscurae intelligantur: & has omnes simulati numinis praestigias reuelabo, quibus inducti homines a ueritatis uia longius recesserunt: sed repetam longe altius, ut si quis ad legendum expers ueri & ignarus accesserit, instituatur, atque intelligat, quod tandem sit caput horum & causa malorum: & lumine accepto, suos ac totius generis humani perspiciat errores. Sicut mater sine exemplo genuit autorem suum, sic ineffabiliter pater genuisse credendus est coaeternum. De matre natus est, qui ante iam fuit: de patre, qui aliquando non fuit. Hoc fides credat, intelligentia non requirat: ne aut non inuentum putet incredibile, aut repertum non credat singulare. Quum esset deus ad excogitandum prudentissimus, ad faciendum solertissimus, antequam ordiretur hoc opus mundi, quoniam pleni & consummati boni fons in ipso erat, sicut est semper, ut ab eo bono tanquam riuus oriretur, longaeque proflueret, produxit similem sui spiritum, qui esset uirtutibus dei patris praeditus. Quomodo autem id uoluerit, in quarto docere libro conabimur. Deinde fecit alterum, in quo indoles diuinae stirpis non permansit. Itaque

Diabolus a deo factus, suapte inuidia corruptus est.

suapte inuidia corruptus est.

D suapte inuidia tanquam ueneno infectus est, & ex bono ad malum transcendit, suoque arbitrio, quod a deo illi liberum datum fuerat, contrarium sibi nomen asciuit. Unde apparet, cunctorum malorum fontem esse liuorem. Inuidit enim illi antecessori suo, qui deo patri perseverando tum comprobatus, tum etiam & charus est. Hunc ergo ex bono per se malum effectum Graeci *δίαβολος* appellant, nos criminatorem uocamus: quod crimina, in quae ipse illicet, ad deum deferat. Exorsus igitur deus fabricam mundi, illum primum & maximum filium praefecit operi uniuerso, eoque simul & consiliatore usus est, & artifice in excogitandis, ornandis, perficiendisque rebus: quoniam is & prouidentia, & ratione, & potestate perfectus est: de quo nunc parcius, quod alio loco & uirtus, & nomen eius, & ratio enarranda nobis erit. Nemo quaerat ex quibus ista materijs tam magna, tam mirifica opera deus fecerit. Omnia enim fecit ex nihilo. Nec audiendi sunt poetae, qui aiunt chaos in principio fuisse, id est confusionem rerum atque elementorum: postea uero deum diremisisse omnem illam congeriem, singulisque rebus ex confuso aceruo separatis, in ordinemque descriptis, instruxisse mundum pariter, & ornasse. Quibus facile est respondere, potestatem dei non intelligentibus, quem credunt nihil efficere posse, nisi ex materia subiacente ac parata. In quo errore etiam philosophi fuerunt: nam Cicero de natura deorum disputans, sic ait: Primum igitur non est probabile eam materiam rerum, unde orta sunt omnia, esse diuina prouidentia effectam: sed habere, & habuisse uim, & naturam suam. Ut igitur faber, quum quid aedificaturus est, non ipse facit materiam, sed ea utitur, quae sit parata, sicut etiam cera: sic isti prouidentiae diuinae materiam praesto esse oportuit, non quam ipse faceret, sed quam haberet paratam. Quod si non est a deo materia facta, ne terra quidem, & aqua, & aer, & ignis a deo factus est. O quam multa sunt uitia in his decem uersibus. Primum quod is, qui in alijs disputationibus & libris fere omnibus prouidentiae fuerit assertor, & qui acerrimis argumentis impugnauerit eos, qui prouidentiam non esse dixerunt: idem nunc quasi proditor aliquis aut transfuga, prouidentiam conatus est tollere. In quo si contradicere uelis, nec cogitatione opus est, nec labore: sua illi dicta recitata sunt. Nec enim ab ullo poterit Cicero quam a Cicerone uehementius refutari. Sed concedamus hoc mori & instituto Academicorum, ut liceat hominibus ualde liberis dicere ac sentire quae uelint: sententias ipsius consideremus. Non est, inquit, probabile

Chaos quid.

N. enim Mater
a prodito.
ab eorum enim fuit

A babile, materiã rerum à deo factam. Quibus hoc argumentis probas? Nihil enim dixisti, quare hoc non sit probabile. Itaq; mihi è cõtrario uel maxime probabile uideatur: nec tamen temere uidetur cogitanti plus esse aliquid in deo, quem profectò ad imbecillitatem hominis redigis, cui nihil aliud, quàm opificium concedis. Quomodo igitur ab homine diuina illa uis differet, si ut homo, sic etiam deus ope indigeat aliena? Indiget autem, si nihil moliri potest, nisi ab altero illi materia ministretur. Quod si sit, imperfectæ utiq; uirtutis est, & erit iam potentior iudicandus materiæ institutor. Quo igitur nomine appellabitur, qui potentia deum uincit? si quidem maius est propria facere, quàm aliena disponere. Si autem fieri nõ potest, ut sit potentius deo quicquam, quem necesse est perfectæ esse uirtutis, potestatis, rationis: idem igitur materiæ fictior est, qui & rerum ex materia cõstantium. Neq; enim deo non faciente, & inuito, esse aliquid aut potuit, aut debuit. Sed probabile est, inquit, materiã rerum & habere, & habuisse naturam suam, & uim. Quam uim potuit habere nullo dante? quam naturam nullo generante? Si habuit uim, ab aliquo eam assumpsit. A quo autem sumere, nisi à deo potuit? Si habuit naturam, quæ utiq; à nascendo dicitur, nata est: à quo autẽ nisi à deo potuit procreari? Natura enim qua dicitur orta esse omnia, si consiliũ non habet, efficere nihil potest. Si autem generandi, aut faciendi potens est, habet ergo consiliũ, & propterea deus sit necesse est. Nec alio nomine appellari potest ea uis, in qua inest & prouidentia excogitandi & solertia, potestasq; faciendi. Melius igitur Seneca omnium Stoicorũ acutissimus, qui uidit nil aliud esse naturam, quàm deum: Ergo deum, inquit, non laudabimus, cui naturalis est uirtus? nec enim illam didicit ex ullo: imò laudabimus: quamuis enim naturalis illa ei sit, sibi illam dedit, quoniam deus ipsa natura est. Igitur ortum rerum tribuis naturæ, ac detrahis deo. Cur in eodem luto hæsitans, uersuram soluis? A quo enim fieri negas, ab eodem planè fieri mutato nomine confiteris. Sequitur ineptissima comparatio: Vt enim faber, inquit, quum quid ædificaturus est, non ipse facit materiã, sed utitur ea, quæ sit parata, fictorq; item cera: sic isti prouidentia diuinæ materiã esse præstò oportuit, nõ quam ipse faceret, sed quam haberet paratam. Imò uero non oportuit. Erit enim deus minoris potestatis, si ex parata facit, quod est hominis. Faber enim sine ligno nihil ædificat, quia lignum ipsum facere non potest. Nõ posse autem, imbecillitatis est humana. Deus uero facit sibi ipse materiã, quia potest. Posse enim dei est: nam si non potest, deus non est. Homo facit ex eo, quod est, quia per mortalitatem imbecillis est, per imbecillitatẽ definitæ ac modicæ potestatis. Deus autem fecit ex eo, quod nõ est, quia per æternitatem fortis est, per fortitudinem potestatis immensæ, quæ sine ac modo caret, sicut uita factoris. Quid ergo mirũ, si facturus mundũ deus, prius materiã de qua faceret, præparauit ex eo, quod non erat? quia nefas esset deum aliunde aliquid mutuari, quũ in ipso, uel ex ipso sint omnia. Nam si est aliquid ante illum factum, & quicquam non ab illo factum, potestatem dei & nomen amittet. At enim materia nunquam facta est, sicut deus, qui ex materia fecit hunc mundum. Duo igitur constituuntur æterna, & quidẽ inter se cõtraria, quod fieri sine discordia & pernicie non potest. Collidant enim necesse est ea, quorum uis & ratio diuersa est. Sic utraq; æterna esse non potuerũt, si repugnant, quia superare alterum necesse est. Ergo fieri non potest, quin æterni natura sit simplex, ut inde omnia uelut ex fonte descenderint. Itaque aut deus ex materia ortus est, aut materia ex deo: quid horum sit uerius, facile est intelligi. Ex his enim duobus alterũ sensibile est, alterum caret sensu. Potestas faciendi aliquid nõ potest esse, nisi in eo quod sentit, quod sapit, quod cogitat, quod mouetur. Nec incipi, aut fieri, aut cõsummarĩ quic

Mundus nõ ex
subiacente ma-
teria factus.

Natura unde.

Deus mundum
fecit ex nihilo.

c quam potest, nisi fuerit ratione præuisum, aut quemadmodum fiat antequam est, aut quemadmodum cōstet, postquam fuerit effectum. Deniq; is facit aliquid, qui habet uoluntatem ad faciendum, & manus ad id, quod uoluit, implendum. Quod autem insensibile est, iners & torpidū semper iacet: nihil inde oriri potest, ubi nullus est motus uoluntarius: nam si omne animal ratione cōstat, certe nasci ex eo non potest, quod ratione præditum non est: nec aliunde accipi potest id, quod ibi, unde petitur, nō est. Nec tamen cōmoueat aliquem, quod animalia quædam de terra

*Sine spiritu dei
nihil gignitur.*

nasci uidentur. Hæc enim non terra per se gignit, sed spiritus dei, sine quo nihil gignitur. Non ergo deus ex materia, quia sensu præditum ex insensibili, sapiens ex bruto, impatibile de patibili, expers corporis de corporali nunquam potest oriri, sed materia potius ex deo est. Quicquid enim est solido & contractibili corpore, accipit externam uim: quod accipit uim, dissolubile est: quod dissoluitur, interit: quod interit, ortum sit necesse est: quod ortum est, habuit fontem unde oriretur, id est factorē aliquem sentientem, prouidum peritumq; faciendū. Is est profectō nec ullus alius quā deus. Qui quoniam sensu, ratione, prouidentia, potestate, uirtute præditus est, & animātia & inanimata creare & efficere potest, quia tenet quomodo quidq; sit faciendum. Materia uero semper fuisse nō potest, quia mutationem nō caperet si fuisset. Quod enim semper fuit, semper esse nō desinit: & unde abfuit principium, abesse hinc etiam finem necesse est. Quinetiā facilius est, ut id, quod habuit initium, sine careat, quā ut habeat finem quod initio caruit. Materia ergo si facta non est, nec fieri ex ea quicquam potest. Si fieri ex ea nō potest, nec

Materia quid.

materia quidem erit. Materia enim est, ex qua fit aliquid. Omne autem ex quo fit, quia recepit opificis manum, destruitur, & aliud esse incipit. Ergo quoniam finem habuit materia, tum, quum factus est ex ea mundus, & initiū quoq; habuit. Nam quod destruitur, ædificatum est: quod soluitur, alligatum: quod finitur, inceptum est. Si ergo ex cōmutatione ac fine, materia colligitur habuisse principium, à quo alio fieri nisi à deo potuit: Solus igitur deus est, qui factus nō est, & idcirco destruire alia potest, ipse destrui nō potest, permanebit semper in eo quod fuit, quia non est aliunde generatus, nec ortus, nec natiuitas eius ex aliqua alia re pender, quæ illum mutata dissoluat. Ex seipso est, ut in primo diximus libro. Et ideo talis est, qualem se esse uoluit, impassibilis, immutabilis, incorruptus, beatus, æternus. Iam uero illa conclusio, qua sententiam terminauit Tullius, multo absurdior: Quod si materia, inquit, à deo non est facta, nec terra quidem, & aqua, & aër, & ignis à deo factus est. Quā callide periculū præteruolauit. Sic enim superius illud assumpsit, tanquam probatione non indigeret, quū id multo esset incertius, quā illud propter quod assumptum est. Si non est, inquit, à deo facta materia, nec mūdus à deo factus est. Ex falso maluit colligere, quod falsum est, quā ex uero quod uerū. Et quum debeant incerta de certis probari, hic probationem sumpsit ex incerto, ad euertendum quod erat certum. Nam diuina prouidentia effectum esse mundum, ut taceam de Trismegisto, qui hoc prædicat, taceam de carminibus Sibyllarum, quæ idem nunciant, taceam de prophetis, qui opus mundi ac opificiū dei uno spiritu ac pari uoce testantur: etiam inter philosophos penè uniuersos cōuenit. Idem etiam Pythagorici, Stoici, Peripatetici, qui sunt principes omnis disciplinæ. Denique à primis illis septem sapientibus, à Socrate usq; ad Platonem, pro confessō & indubitato habitū est, donec unus multis post seculis extitit delirus Epicurus, qui auderet negare id, quod est euidentissimum, studio scilicet inueniendū noua, ut nomine suo constitueret disciplinam. Et quia nihil noui potuit reperire, ut tamen dissentire à cæteris uideretur, uetera uoluit euertere, in quo illum circūlatrantes phi-

*†ter maximo
Trismegisto*

losophi

A Iosophi omnes coarguerūt. Certius est igitur mundum prouidentia instructum, quam materia prouidentia conglobatū. Quare non oportuit putare idcirco mundum non esse diuina prouidentia factum, quia materia eius diuina prouidentia facta non sit: sed quia mundus diuina prouidentia sit effectus, & materia esse factam diuinitus. Credibilius est enim materiam potius a deo factam, quia deus omnia potest, quam mundum a deo non esse factum, quia sine mente, ratione, consilio, nihil fieri potest. Verū hæc non Ciceronis est culpa, sed sectæ. Quum enim suscepisset disputationem, qua deorum naturā tolleret, de qua philosophi garriebāt, omnem diuinitatem ignorantia ueri putauit esse tollendam. Itaq; deos potuit tollere, quia nō erant. Quum autem prouidentia diuinam, quæ est in uno deo, conaretur euertere, quia cōtra ueritatem niti cœperat, deficientibus argumentis, in hanc foueam necessario decidit, unde se extricare non posset. Hic ergo illum teneo hærentem, teneo defixum, quo Lucillius, qui contrā differebat, obmutuit. Hic est ergo cardo rerum, hic uertuntur omnia. Explicet se Cotta, si potest, ex hac uoragine: proferat argumenta, quibus doceat, semper fuisse materiam, quam nulla prouidentia effecerit: Ostendat quomodo quicquam ponderosum & graue, aut esse potuerit sine autore, aut immutari ualuerit, ac deserit esse, quod semper fuit, ut inciperet esse quod nunquam fuit. Quæ si docuerit, tum demum assentiar, ne mundum quidem diuina prouidentia cōstitutum: & tamen sic assentiar, ut alijs illum laqueis teneam. Eodem enim quō nollet, reuoluetur: ut dicat & materiam, de qua mundus est, & mundum, qui de materia est, natura extitisse, quum ego ipsam naturam deum esse contendam. Nec enim potest facere mirabilia, id est maxima ratione constantia, nisi qui habet mentem, prouidentiam, potestatem. Ita fiet, ut deus fecerit omnia, nec quicquam esse possit omnino, quod nō originem a deo traxerit. At idem quoties Epicureus est, & non uult a deo factum esse mundum, quærere solet quibus manibus, quibus machinis, quibus uectibus, qua molitione hoc tantum opus fecerit. Videret fortasse, si eo tēpore potuisset esse, quo deus fecit. Sed ne perspiceret homo dei opera, noluit eum inducere in hunc mundum, nisi perfectis omnibus: sed ne induci quidem poterat. Quomodo enim subsisteret quum fabricaretur desuper cœlum, terra subter fundaretur? quum fortasse humida uel nimis rigoribus torporata concreverent, uel igneis caloribus incocta & solidata durescerēt. Aut quomodo uiueret sole nondum instituto, nec frugibus, nec animalibus natis? Itaque necesse fuit hominem postremo fieri, quum iam mundo cæterisq; rebus manus summa esset imposita. Deniq; sanctæ literæ docent hominem fuisse ultimum dei opus, & sic inductum fuisse in hunc mūdum, quasi in domum iam paratam & instructā: illius enim causa facta sunt omnia. Idem etiam poëtæ fatentur. Ouidius perfectio iam mundo, & uniuersis animalibus figuratis, hoc addidit:

Sanctius his animal, mentisq; capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset,
Natus homo est.

Adeò nefas æstimandum est ea scrutari, quæ deus uoluit esse celata. Verum ille non audiendi, aut discendi studio requirebat, sed refellendi, quia confidebat neminem id posse dicere. Quasi uero ex hoc putandum sit, non esse hæc diuinitus facta, quia quomodo facta sint non potest prouideri. An tu si educatus in domo fabricata & ornata, nullam unquam fabricam uidisses, domum illam putasses non ab homine esse ædificatam, quia quomodo ædificetur, ignorares? Idem profectò de domo quæreres, quod nunc de mundo requiris, quibus manibus, quibus feramentis homo tanta esset opera molitus; maxime si saxa ingentia, immensa ces-

Cicero naturā
deorū sustulit.

Homo ultimū
dei opus.

C^omenta, uastas columnas, opus totum sublime & excelsum uideres, nonne hæc tibi humanarum uirium modum uiderentur excedere? quia illa non tam uiribus, quam ratione atque artificio facta esse nescires. Quod si homo, in quo nihil perfectum est, tamen plus efficit ratione, quam uires eius exiguae patiatur, quid est cur incredibile tibi esse uideatur, quum mundus dicitur factus à deo? in quo, quia perfectus est, nec sapientia potest habere terminum, nec fortitudo mensuram. Opera ipsius uidentur oculis: quomodo autem illa fecerit, ne mente quidem uidet, quia (ut Hermes ait) mortale immortali, temporale perpetuo, & corruptibile incorrupto propinquare non potest, id est propius accedere, & intelligentia subsequi: & ideo terrenum adhuc animal rerum celestium perfectionem non capit: quia corpore quasi custodia septum tenetur, quo minus soluto ac libero sensu cernat omnia. Sciat igitur quod inepte faciat, qui res inenarrabiles querit: hoc est enim modum conditionis suae transgredi, nec intelligere, quousque homini liceat accedere. Denique quum aperiret homini ueritatem deus, ea sola scire nos uoluit, quae interfuit hominem scire ad uitam consequendam. Quae uero ad curiosam & profanam cupiditatem pertinebant, reticuit, ut arcana essent. Quid ergo queris, quae nec potes scire: nec si scias, beator fias? Perfecta est in homine sapientia, si & deum esse unum, & ab ipso esse facta uniuersa cognoscat.

Quae deus homini patefecit, quae reticuit.

Quod deus quatuor elementa distinxit, & quatuor qualitates, & quatuor tempora: & quod ex calore & humore sit uita: & quare homines igne, caetera animalia aqua magis utantur. Caput X



Nunc quoniam refutauimus eos qui de mundo, & factore eius deo aliter sentiunt, quam ueritas habet, ad diuinam mundi fabricam reuertamur: de qua in arcanis sanctae religionis literis tradit. Fecit igitur deus primum omnium caelum, & in sublime suspendit, quod esset sedes ipsius dei conditoris. Deinde terram fundauit, ac caelo subdidit: quam homo cum caeteris animalium generibus incoleret. Eam uoluit humore circumflui, & contineri. Suum uero habitaculum distinxit claris luminibus, & impleuit, Sole scilicet, Lunaque orbe fulgenti, & astrorum micantium splendentibus signis adornauit: tenebras autem, quod est his contrarium, constituit in terra. Nihil enim per se continet luminis, nisi accipiat à caelo, in quo posuit lucem perennem, & superos, & uitam perpetuam. Et contra in terra tenebras, inferos, & mortem. Tanto enim haec ab illis superioribus distant, quantum mala à bonis, & uitia à uirtutibus. Ipsius quoque terrae binas partes contrarias inter se, diuersasque constituit, scilicet orientem, occidentemque: ex quibus oriens deo similis censetur, quia ipse luminis fons & illustrator est rerum, & quod oriri nos faciat ad uitam sempiternam. Occidens autem conturbata illi praeque menti adscribitur, quod lumen abscondat, quod tenebras semper inducat, & quod homines faciat occidere atque interire peccatis. Nam sicut lux orientis est, in luce autem uitae ratio uersatur: sic occidentis tenebrae sunt, in tenebris autem & mors, & interitus continetur. Deinde alteras partes eadem ratione dimensus est, meridiem ac septentrionem: quae partes illis duabus societate iunguntur. Ea enim quae est solis calore flagrantior, proxima est & cohaeret orienti. At illa, quae frigoribus & perpetuo gelu torpet, eiusdem est, cuius extremus occasus. Nam sicut contrariae sunt lumini tenebrae, ita frigus calori. Ut igitur calor lumini est proximus, sic meridiem orienti. Ut frigus tenebris, ita plaga est septentrionis occasui. Quibus singulis partibus suum tempus attribuit: Ver scilicet orienti, aestatem meridionali plagae, occidentis autumnus est, septentrionis hyems. In his quoque duabus partibus meridionali & septentrionali, figura uitae & mortis continetur: quia uita in calore est, mors in frigore. Sicut autem calor ex igne est, ita frigus ex aqua. Secundum harum partium

Oriens & occidentens.

Meridies & septentrio.

A partium dimensionem, diem quoque facit ac noctem: quæ spacia & orbis tempo- *Dies & nox.*
rum perpetuos ac uolubiles, quos uocamus annos, alterna per uices successione,
cōficiant. Dies, quæ primus oriens subministrat, dei sit necesse est, ut omnia quæ=
cunque meliora sunt. Nox autem, quam occidens extremus inducit, eius scilicet
quem dei esse æmulum diximus. Quæ duo etiam in hoc præsciis futurorum deus
fecit, ut ex ijs & ueræ religionis, & falsarum superstitionum imago quædam osten-
deretur. Nam sicut Sol, qui oritur in die, licet sit unus (unde Solem esse appellatū
Cicero uult uideri, quod obscuratis syderibus solus appareat) tamen quia uerum
ac perfectæ plenitudinis lumen est, & calore potissimo, & fulgore clarissimo illu-
strat omnia: ita in deo, licet sit unus, & maiestas, & uirtus, & claritudo perfecta est.
Nox autem, quam prauo illi Antitheo dicimus attributā, eius ipsius multas & ua-
rias religiones per similitudinem demonstrat. Quamuis enim stellæ innumerabi-
les micare ac radiare uideantur, tamen quia nō sunt plena ac solida lumina, nec ca-
loris præferunt quicquam, nec tenebras multitudinem sua uincunt. Duo igitur illa
principalia inueniuntur, quæ diuersam & contrariam sibi habent potestatem, ca-
lor & humor: quæ mirabiliter deus ad sustentanda & gignenda omnia excogita- *Calor &*
uit. Nam quum uirtus dei sit in calore & igni, nisi ardorem uimq; eius admista hu- *humor.*
moris ac frigoris materia tēperasset, nec nasci quicq; nec coherere potuisset, quin
statim conflagratione interiret, quicquid esse cœpisset. Vnde & philosophi quidā,
& poëtæ, discordiā concordia mundum constare dixerunt, sed rationem penitus
non uiderunt. Heraclitus ex igne nata esse omnia dixit, Thales Milesius ex aqua.
Vterq; uidit aliquid, sed errauit tamen uterque, quod alterutrum si solum fuisset,
neq; aqua nasci ex igne potuisset, neq; rursus ignis ex aqua. Sed est uerius, simul
B ex utroque permisto cuncta generari. Ignis quidem permisceri cum aqua non po-
test, quia sunt utraque inimica: & si comminus uenerint, alterutrum quod supera-
uerit, cōficiat alterum necesse est: sed eorum substantiæ permisceri possunt. Sub-
stantia ignis calor est, aquæ humor. Recte igitur Ouidius:

Quippe ubi temperiem sumpserit humorq; calorq;
Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus.

Quumq; sit ignis aquæ pugnax, uapor humidus, omneis
Res creat, & discors concordia foetibus apta est.

Alterum enim quasi masculinum elementum est, alterum quasi foemininum, alte-
rum actiuum, alterum patibile. Ideoque à ueteribus institutum est, ut sacramento
ignis & aquæ nuptiarum foedera fanciantur: quod foetus animantiū calore & hu-
more corporentur, atq; animentur ad uitam. Quum enim cōstet omne animal ex
anima & corpore, materia corporis in humore est, animæ in calore: quod ex auitū
foetibus datur scire, quos crassi humoris plenos nisi opifex calor fouerit, nec hu-
mor potest corporari, nec corpus animari. Exulibus quoq; ignis & aqua interdici *Exulibus aqua*
solebat: adhuc enim uidebatur nefas, quamuis malos tamen homines supplicio ca- *& igni interdici*
pitis afficere. Interdicto igitur usu earum rerum, quibus uita cōstat hominū, perin- *cebatur.*
de habebatur, ac si esset, qui eam sententiā exceperat, morte multatus. Adeo ista
duo elementa prima sunt habita, ut nec ortum hominis, nec sine his uitam credi-
derint posse constare. Horum alterum nobis commune est cum cæteris animanti-
bus: alterū soli homini datum. Nos enim quoniam cœleste atq; immortale animal
sumus, igne utimur, qui nobis in argumentum immortalitatis datus est: quoniam
ignis è cœlo est, cuius natura, quia mobilis est, & sursum nititur, uitæ continet ra-
tionem. Cætera uero animalia, quoniam tota sunt mortalia, tantummodo aqua
utuntur: quod est elementum corporale atque terrenum. Cuius natura, quia mo-

C bills est, ac deorsum uergens, figuram mortis ostendit. Ideo pecudes neque in cœlum suspiciunt, neque religiones sentiunt: quoniam ab his usus ignis alienus est. Unde autem, uel quomodo deus hæc duo principalia, ignem & aquam uel accenderit, uel eliquauerit, solus scire potest qui fecit.

Quod creato mundo facta animalia propter homines sunt, & tandem homo ipse: Et quid sit, quod poëtae finxerunt Deucalionem homines reparasse: & quod Aristoteles falso putauit mundum esse æternum: & quæ sint tres Parcæ. Caput XI



Iumenta unde.

Homo ab hu-
mo nomē sor-
titus.

Diluuium cur
factum.

Promethei
opificium.

Consummato igitur mūdo, animalia uarij generis, dissimilibus formis, & magna & minora ut fierēt, imperauit. Et facta sunt bina, id est diuersi sexus singula, ex quorum foetibus & aer, & terra, & maria completa sunt: deditque his omnibus generatim deus alimenta de terra, ut usui hominibus esse possent: alia nimirum ad cibos, alia uero ad uestimentū. Quæ autem magnarum sunt uirium, ut in excolenda terra iuuarent, unde dicta sunt iumenta. Ita rebus omnibus mirabili descriptione compositis, regnum sibi æternum parare constituit, & innumerabiles animas procreare, quibus immortalitatem daret. Tum fecit ipse sibi simulacrum sensibile atque intelligens, id est ad imaginis suæ formam, qua nihil potest esse perfectius. Hominē figurauit ex limo terræ: unde homo nuncupatus est, quod sit factus ex humo. Denique Plato humanam formam *θεοειδὴν* esse ait. Et Sibylla, quæ dicit:

Εἰκὼν ἐστὶ ἀνθρώπου ἐμὴ λόγου θεῶν ἔχουσα.

De hac hominis fictione poëtae quoque, quamuis corrupte, tamen non aliter tradiderunt: namque hominem de luto à Prometheo factum esse dixerunt. Res eos non fefellit, sed nomen artificis. Nullas enim literas ueritatis attigerat: sed quæ prophetarum uaticinio tradita in sacrario dei continerentur, ea de fabulis & obscura opinione collecta & deprauata, ut ueritas à uulgo solet uarijs sermonibus dissipata corrumpi, nullo non addente aliquid ad id, quod audierant, carminibus suis comprehenderunt. Et hoc quidem inepte, quod tam mirabile tamque diuinum opificium homini dederunt. Quid enim opus fuit hominem de luto fingi, quum posset eadem ratione generari, qua ipse Prometheus ex Iapeto natus est: qui si fuit homo, generare hominem potuit, facere non potuit. De dijs autem illum non fuisse, poena eius in Caucaaso monte declarat. Sed neque patrē ipsius Iapetū, patruumque Titana, quibusquam deos nuncupauit, quia regni sublimitas penes Saturnum solum fuerit: per quam diuinos honores cum omnibus suis posteris consecutus est. Multis argumentis hoc figmentum poëtarum coargui potest. Factum esse diluuium ad perdendam tollendamque ex orbe terræ malitiā, constat inter omnes. Idem enim & philosophi, poëtae, scriptoresque rerum antiquarum loquuntur, in eoque maxime cum prophetarum sermone consentiunt. Si ergo cataclysmus à deo ideo factus est, ut malitia quæ per nimiam multitudinem increuerat, perderetur: quomodo fictor hominis Prometheus fuit, cuius filium Deucalionem iidem ipsi ob iustitiam solum esse dicunt seruatum: quomodo unus gradus & una progenies orbem terræ tam celeriter potuit hominibus implere: Sed uidelicet hoc quoque sic corruerunt, ut illud superius, quum ignorarent, in quo tempore cataclysmus sit factus in terra, & quis ob iustitiam meruerit genere humano pereunte saluari, & quomodo, aut cum quibus seruatus sit, quæ omnia propheticae literæ docent. Apparet ergo falsum esse, quod de opificio Promethei narrat. Verum quia poëtas dixeram non omnino mentiri solere, sed figuris inuoluere & obscurare quæ dicant, non dico esse mentitos, sed primum omnium Prometheum simulacrum hominis formasse de pingui & molli luto, ab eoque

A eoq; natam primo artem, & statuas, & simulacra fingendi: siquidem Iouis temporibus fuit, quibus primum templa constitui, & noui deorum cultus esse coeperunt. Sic ueritas fucata mendacio est, & illud quod à deo factum ferebatur, homini, qui opus diuinū imitatus est, etiam coepit adscribi. Cæterū fictio ueri ac uiui hominis è limo dei est. Quod Hermes quoque tradit, qui non tantum hominem ad imaginem dei factum esse dixit à deo, sed etiam illud explanare tentauit, quàm subtili ratione singula quæq; in corpore hominis membra formauerit, quum eorū nihil sit, quod nō tantundem ad usus necessitatem, quantum ad pulchritudinem ualeat. Id uero etiam Stoici, quum de prouidentia differunt, facere conantur: & secutus eos Cicero pluribus quidem locis. Sed tamen materiam tam copiosam & uberem stricim contigit, quam ego nunc idcirco prætereo, quia nuper proprium de ea re librum ad Demetrianū auditorem meum scripsi. Illud hoc loco præterire non possum, quod errantes philosophi quidam aiunt, homines cæteraq; animalia sine ullo artifice orta esse de terra: Vnde illud Virgilianum est:

Terrea progenies duris caput extulit aruis.

Et ij maxime fuerūt in ea sententia, qui esse prouidentiam negant. Nam Stoici animantium fabricam diuinæ solertiæ tribuunt. Aristoteles autem labore se ac molestia liberauit, dicens semper mūdum fuisse. Itaq; & humanū genus, & cætera, quæ in eo sunt, initium non habere, sed fuisse semper, ac semper fore. Sed quum uideamus singula quæq; animalia, quæ ante non fuerant, incipere esse, & esse desinere, necesse est totum genus aliquando esse coepisse, & aliquando desitutum esse, quia coeperit. Omnia enim tribus temporibus contineri necesse est, præterito, præsentis, futuro. Præteriti est origo, præsentis substantia, futuri dissolutio. Quæ omnia in singulis hominibus apparent: & incipimus enim, quū nascimur: & sumus, quum uiuimus: & desinimus, quum interimus. Vnde etiam tres Parcas esse uoluerunt: unam, quæ uitam hominibus ordiatur: alterā, quæ contextat: tertiā, quæ rumpat ac finiat. In toto autē genere hominū, quia solum præsens tempus apparet, ex eo tamen & præteritū, id est origo colligitur: & futurū, id est dissolutio. Nam quoniam est, apparet aliquando coepisse. Esse enim nulla res sine exordio potest, & quia coepit, apparet quādoq; desitura. Nec enim potest id totum esse immortale, quod ex mortalibus constat. Nam sicut uniuersi per singulos interimus, fieri potest, ut aliquo casu omnes simul uel sterilitate terrarū, quæ accidere uel particulatim solet: uel pestilentia ubique diffusa, quæ singulas urbes atq; regiones plerumq; populatur: uel incendio in orbem misso, quale iam fuisse sub Phaëtonte dicitur: uel dilu-

Mundus an sit æternus.

Tres Parcae.

Phaëtonis incendium.

uio aquarū, quale sub Deucalione traditur, quum præter unum hominem, genus omne deletum est. Quod diluuium si casu accidit, profectō potuit accidere, ut & unus ille, qui superfuit, interiret. Si autē diuinæ prouidentiae nutu, quod negari nō potest, ad reparandos homines reseruatus est, apparet in dei potestate esse uel uitam, uel interitū generis humani. Quod si uult, potest occidere in totū: quia quod per partes occidit, apparet aliquando esse ortum: & ut fragilitas initium, sic declarat & terminum. Quæ si uera sunt, non poterit defendere Aristoteles, quo minus habuerit & mundus ipse principium. Quod si Aristoteli Plato & Epicurus extor-

quent: & Platoni & Aristoteli, qui semper fore mundum putauerunt,

licet sint eloquentes, ingratis tamen idem Epicurus eripiet,

quia sequitur, ut habeat & finem. Sed hæc in ul-

timo libro pluribus: nunc ad hominis ori-

ginem recurramus.

C

Quod non de terra, uel sponte nata sunt animalia, sed dispositione diuina: cuius
fecisset deus nos conscios, si scire expediret. Caput XII



lunt certis conuersionibus cœli & astrorū motibus, maturitatem quan-
dam extitisse animalium serendorum. Itaq; terram nouam semen ge-
nitale retinentem, folliculos ex se quosdam in uterorū similitudinem
protulisse, de quibus Lucretius:

Crescebant uteri terram radicibus apti.

Eosq; quum maturassent, natura cogente ruptos animalia tenera profudisse. De-
inde terram ipsam humore quodam, qui esset lacti similis, exuberasse, eoq; alimen-
to animates esse nutritos. Quomodo autem uim frigoris aut caloris ferre, aut uita-
re potuerunt, aut omnino nasci, quum Sol exureret, frigus astringeret? Nō erant,
inquiunt, in principio mūdi, hyems & æstas, sed perpetua tēperies, & uer æquabi-
le. Cur ergo nihil horū fieri etiam nunc uidemus? quia semel fieri necessariū fuit,
ut animalia nascerentur: postq; uero esse cœperunt, cōcessa his facultate generan-
di, & terra parere desijt, & temporis conditio mutata est. O quā facile est menda-

Nihil esse,
quod nō sic per-
maneat, ut cœ-
pit.

cia redarguere. Primū, quod nihil potest esse in hoc mundo, quod non sic perma-
neat, ut cœpit. Nec enim Sol & Luna & astra tunc non erant: aut quū essent, mea-
tus non habebant: aut nō diuina moderatio, quæ cursus eorū temperat & guber-
nat, cum ipsis simul cœperit. Deinde, quod si ita sit ut dicunt, prouidentia esse ne-
cesse est: & in id ipsum incidūt, quod maxime fugiunt. Nondū enim natis animalis-
bus, aliquis utiq; prouidit, ut nascerētur, ne orbis terræ desertus atq; incultus hor-
reret. Vt autem de terra sine officio parentum nasci possent, necesse est magna ra-
tione esse prouisum.

D
tuiendi

Deinde ut humor ille concretus de terra in uarias imagines
corporū fingeretur. Item ut è folliculis quibus tegebant, accepta † uidendi sentien-
diq; ratione, tanq; ex aluo matrum profunderent, mira inexplicabilisq; prouisio
est. Sed putemus id quoq; casu accidisse: illa certe, quæ sequuntur, fortuita esse non
possunt, ut terra cōtinuo lacte manaret, ut aëris tēperies esset æqualis. Quæ si con-
stat idcirco esse facta, ut animalia recenter edita uel haberent alimentum, uel nō ha-
berent periculū: necesse est, ut aliquis diuina, nescio qua ratione prouiderit. Quis
autem potest prouidere nisi deus? Videamus tamen an id ipsum quod dicitur, fieri
potuerit, ut homines nascerentur è terra. Si cōsideret aliquis, quandiu, & qui-
bus modis educetur infans, intelliget profectō non potuisse terrigenas illos pue-
ros sine ullo educatore nutriri. Fuit enim necesse quampluribus mensibus iace-
re proiectos, donec confirmatis neruis mouere se, locumq; mutare possent: quod
uix intra unius anni spaciū fieri potest. Iam uide, utrum ne infans eodem modo, &
eodem loco, quo est effusus, iacere per multos menses ualuerit: an non humore il-
lo terræ, quod alimentū gratia ministrabat, & sui corporis purgamentis in unum
mistis obrutus, corruptusq; moreretur: Itaque nullo modo fieri potest, quin ab ali-
quo fuerit educatus: nisi forte animalia omnia non tenera nata sunt, sed excreta: qd
ut dicerent, nunquam uenit illis in mentem. Omnis ergo illa ratio impossibilis &
uana est: si tamen ratio dici potest, qua id agitur, ut nulla sit ratio. Qui enim dicit o-
mnia sua sponte esse nata, nihilq; diuinæ prouidentia tribuit, hic profectō ratio-
nem non asserit, sed euerit. Quod si neque quicquam fieri sine ratione, neque na-
sci potest, apparet diuinam esse prouidentiam: cuius est propriū, quod dicitur ra-
tio. Deus igitur rerum omnium machinator fecit hominem: quod Cicero, quam-
uis expers cœlestium literarū, uidit tamen: qui libro de legibus primo, hoc idem
tradidit, quod propheta, cuius uerba subieci: Hoc animal prouidum, sagax, multi-
plex, acutum, memor, plenū rationis & consilij, quem uocamus hominem, præ-
clara

Homines è ter-
ra sponte nasci
non potuisse.

Homo factus à
summo deo.

A clara quadam conditione generatum esse à summo deo solum: est enim ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis & cogitationis, quum cætera sint omnia expertia. Vides ne hominem quamuis longe à ueritatis notitia remotum, tamen quoniam imaginem sapientiæ tuebatur, intellexisse non nisi à deo hominem potuisse generari: Sed tamen diuinis opus est testimonijs, ne minus humana sufficiant. Sibylla hominem dei opus esse testatur:

ὁς μόνος ὄσι θεὸς κτίσας ἀκράτητος ὑπάρχων,
αὐτὸς δ' ἐσήειξε τύπον μορφῆς μερόπων τε,
αὐτὸς ἔμιξε φύσιν πάντων γενεῆς βίοντιο.

Eadē tamen sanctæ literæ continent. Deus ergo ueri patris officio functus est. Ipse corpus effinxit: ipse animā qua spiramus, infudit: illius est totum, quicquid sumus. Quomodo id fecerit, si nos oporteret scire, docuisset, sicut docuit cætera, quæ cognitionem nobis & pristini erroris, & ueri luminis attulerunt.

Quare duo sexus mundi minoris, id est hominis: & quid sit mors eius prima, quid secunda: & de primorum parentum culpa, & poena. Cap. XIII



Quam ergo marem ad similitudinem suam primū finxisset, tum etiam foeminam cōfigurauit ad ipsius hominis effigiem, ut duo inter se permixti sexus, propagare sobolem possent, & omnem terram multitudine opplere. In ipsius autem hominis fictione, illarum duarum materiarum, quas inter se diximus esse cōtrarias, ignis & aqua conclusit, perfecitq; rationem. Fictio enim corpore, spirauit ei animā de uitali fonte spiritus sui, qui est perennis: ut ipsius mundi, ex contrarijs cōstantis elementis, similitudinem gereret. Constat enim ex anima & corpore, id est, quasi è cælo & terra: quandoquidem anima, qua uiuimus, uelut è cælo orit à deo: corpus è terra, cuius è limo diximus esse formatum. Empedocles, quē nescias utrum ne inter poetas an inter philosophos numeres, quod de rerū natura uersibus scripsit, ut apud Romanos Lucretius & Varro, quatuor elementa constituit, id est ignem, aërem, aquam, & terrā: fortasse Trismegistū secutus, qui nostra corpora ex his quatuor elementis constituta esse dixit à deo. Habere nanque in se aliquid ignis, aliquid aëris, aliquid aquæ, aliquid terræ: & neq; ignem esse, neq; aërem, neq; aquam, neq; terram: quæ quidē falsa nō sunt. Nam terræ ratio in carne est, humoris in sanguine, aëris in spiritu, ignis in calore uitali. Sed neq; sanguis à corpore secerni potest, sicut humor à terra: neque calor uitalis à spiritu, sicut ignis ab aëre. A deo rerum omnium duo sola reperiuntur elementa, quorum omnis ratio in nostri corporis fictione cōclusa est. Ex rebus igitur diuersis ac repugnantibus homo factus est, sicut ipse mundus ex luce ac tenebris, ex uita & morte: quæ duo inter se pugnare in homine præcepit, ut si anima superauerit, quæ ex deo oritur, sit immortalis, & in perpetua luce uersetur: si autē corpus uicerit animā, ditioniq; subiecerit, sit in tenebris sempiternis, & in morte. Cuius non ea uis est, ut iniustas animas extinguat omnino, sed ut puniat in æternum. Eam poenam, secundā mortem nominamus, quæ est & ipsa perpetua, sicut & immortalitas. Primā sic definimus: Mors est naturæ animantium dissolutio. Vel ita: Mors est corporis animæq; seductio. Secunda uero sic: Mors est æterni doloris permissio. Vel ita: Mors est animarum pro meritis ad æterna supplicia damnatio. Hæc mutas pecudes non attingit, quarum animæ non ex deo constantes, sed ex communi aëre, morte soluuntur. In hac igitur societate cœli atq; terræ, quorū effigies in homine expressa est, superiorem partem tenent ea quæ sunt dei, anima scilicet, quæ dominiū corporis habet: inferiorem autem ea, quæ sunt diaboli: corpus utiq; quod quia terrenum est, animæ debet esse subiectū, sicut terra cælo. Est enim

Corpus humanum ex quatuor elementis constitutum.

Mors quomodo duplex.

C terra quasi uasculum, quo tanquam domicilio temporali spiritus cœlestis utatur. Vtriusq; officia sunt, ut hoc, quod est ex cœlo & deo, imperet; illud uero, quod ex terra est, diabolo seruiat. Quod quidem non fugit hominem nequam Sallustium, qui ait: Sed omnis nostra uis in animo & corpore sita est, animi imperio, corporis seruitio magis utimur. Recte, si ita uixisset, ut locutus est: seruiuit enim fœdissimis uoluptatibus, suamq; ipse sententiã uitæ prauitate dissoluit. Quod si anima ignis est (ut ostendimus) in cœlum debet eniti, sicuti ignis, ne extinguatur, hoc est ad immortalitatem, quæ in cœlo est. Et sicut ardere ac uiuere non potest ignis, nisi aliqua pingui materia teneatur, in qua habeat alimentum: sic animæ materia & cibus est sola iustitia, qua tenetur ad uitam. Post hæc deus hominem, qua exposuimus ratione generatũ, posuit in paradiso, id est, in horto fœcundissimo & amœnissimo, quem in partibus orientis, omni genere ligni arborumq; conseruit, ut ex earũ uarijs fructibus aleretur, expersq; omnium laborum deo patri summa deuotione seruiret. Tum dedit ei certa mandata: quæ si obseruasset, immortalis maneret: si transscendisset, morte afficeretur. Id autem præceptum fuit, ut ex arbore una, quæ fuit in medio paradisi, nõ gustaret, in qua posuerat intelligentiã boni & mali. Tum criminator ille inuidens operibus dei, omnes fallacias & calliditates suas ad decipiendum hominem intendit, ut ei adimeret immortalitatem. Et primo mulierem dolo illexit, ut uetitum cibum sumeret, & per eam ipsi quoq; homini persuasit, ut transscenderet dei legem. Percepta igitur scientiã boni & mali, pudere eum nuditatis suæ cœpit, absconditq; se à facie dei, quod antea non solebat. Tum deus eiecit hominem de paradiso, sententiã in peccatores lata, ut uictũ sibi labore conquirent, ipsumq; paradisu igni circũuallauit, ne homo posset accedere, donec summum

D iudiciũ faciat in terra, & iustos uiros cultores suos in eundem locũ reuocet, morte sublata, sicut sacre literæ docent, & Sibylla Erythræa, quum dicit:

*Οἱ δὲ θεὸν ἑμῶντες ἀληθινὸν, ἀγίαόν γε
ζωὴν κληρονομήσει τὸν αἰῶνος χρόνον αὐτοῖ
οἰκόντες πρῶτῳ δεισὸν ὁμῶς ἐριθηλία κῆπον.*

Verum quoniam hæc extrema sunt, tota in extrema operis huius parte tractabimus. Nunc ea, quæ prima sunt, explicemus. Mors itaq; secuta est hominem secundum dei sententiã, quod etiam Sibylla in carmine suo docet, dicens:

*ἄνθρωπον πεπλάσθαι θεὸς παλάμαις ἐνὶ αὐταῖς
ὄντε πλάνησεν ὄφεις δολίως αὐτὸν μοῖραν ἀνελεῖν
τὸ θανάτου γνώσῃ τε λαθεῖν ἀγαθὸ τε κακὸ τε.*

Hominum uita
longissima.

Sic facta hominis uita est temporalis, sed tamen longa, quæ in mille annos propagaretur. Quod diuinis literis proditũ, & per omnem scientiã publicatum, quum Varro non ignoraret, argumentari nixus est, cur putarentur antiqui mille annos uictitasse. Ait enim, apud Aegyptios pro annis menses haberi, ut non Solis per duodecim signa circũitus faciat annũ, sed Luna, quæ orbem illum signiferum triginta dierum spacio illustrat: quod argumentũ perspicue falsum est. Nemo enim tunc millesimum annum transgressus est. Nunc uero qui ad centesimum perueniunt, quod sit sapissime, mille certe ac ducentis mensibus uiuunt. Et autores idonei tradunt, ad centum uiginti annos perueniri solere. Sed quia ignorabat Varro, cur, aut quando uita hominis esset diminuta, ipse diminuit, quum sciret mille & quadringentis mensibus posse uiuere hominem.

Quod

A Quod non Liber pater fuit inuentor uini, sed Noë post diluuium, & quæ fuerit origo gentium, & qui primi habuerint scientiam astrorum, & ignorantiam dei. Cap. XIII



Eus autem postea, quum uideret orbem terræ malitiâ & sceleribus op-

Diluuium.

pletum, statuit humanum genus diluuiò perdere: sed tamen ad multi-

tudinē reparandā delegit unum, quod corruptis omnibus singulare iustitiæ supererat exemplū. Hic quum sexcentorū esset annorū fabri-

*Noë uini reo-
pertor.*

cauit arcam, sicut præceperat ei deus, in qua ipse cum coniuge, ac tribus filijs, toti-

demq; nuribus seruatus est, quum aqua uniuersos montes altissimos operuisset.

Deinde orbe siccato, execratus iniustitiâ prioris seculi deus, ne rursus longitudo ui-

*Chananaei
unde.*

tæ causa esset excogitandorū malorū, paulatim per singulas progenies diminuit

hominis ætatē, atq; in centū & uiginti annis metam collocauit, quā transgredi nō

liceret. Ille uero quū egressus esset ex arca, ut sanctæ literæ docēt, terrā studiose co-

*Astrologi om-
niū primi.*

luit, atq; uineam sua manu feuit. Vnde arguuntur, qui autorē uini Liberū putāt. Ille

enim nō modo Liberū, sed etiam Saturnū atq; Vranū, multis antecessit ætatibus:

qua ex uinea quum primum fructū cepisset, lætus factus bibit usq; ad ebrietatem,

iacuitq; nudus. Quod quum uidisset unus ex filijs, cui nomen fuit Cham, nō texit

patris nuditatem, sed egressus etiam fratribus indicauit. At illi sumpto pallio, intra

uerunt auersis uultibus, patremq; texerūt. Quæ quū facta recognouisset pater, ab

dicauit atq; expulit filium. At ille profugus in eius terræ parte consedit, quæ nunc

Arabia nominat. Ea q; terra de nomine suo Chanaan dicta est, & posterī eius Cha-

nanai. Hæc fuit prima gens, quæ deum ignorauit, quoniā princeps eius & condi-

tor, cultū dei à patre non accepit, maledictus ab eo. Itaq; ignorantia diuinitatis mi-

noribus suis reliquit. Ab hac gente proximi quiq; populī multitudinē increscen-

te fluxerūt. Ipsius autē patris posterī Hebræi dicti, penes quos religio dei refedit:

sed & ab his postea multiplicato in immensum numero, quū eos angustia locorū

suorū capere non possent, tum adolentes uel missi à parentibus, uel sua sponte,

quū rerum penuria cogeret, profugū ad quærendas sibi nouas sedes, huc atq; illuc

dispersi, omnes insulas, & orbem totū repleerūt, & à stirpe sanctæ radicis auulsi, no-

uos sibi mores ac instituta pro arbitrio cōdiderunt. Sed omnium primī, qui Aegy-

ptū occupauerūt, cœlestia suspicere atq; adorare cœperūt. Et quia neq; domicilijs

tegebantur, propter aëris qualitātē, (nec enim ullis in ea regione nubibus subtexi-

tur cœlum) cursus syderū, & defectus notauerunt, dum ea sæpe uenerantes curio-

sus atq; liberius intuerent. Postea deinde portentificas animalium figuras quas co-

lerent, cōmentū sunt, quibusdā prodigijs inducti: quorū mox autores aperiemus.

Cæteri autē, qui per terrā dispersi fuerunt, admirantes elementa mūdi, cœlum, so-

lem, terrā, mare, sine ullis imaginibus ac tēplis uenerabant, & his sacrificia in aper-

to celebrabant, donec processu temporū potentissimis regibus templa & simula-

cra fecerūt, ea q; uictimis & odoribus colere instituerūt: sic aberrātes à notitia dei,

gentes esse cœperunt. Errant igitur, qui deorū cultus ab exordio rerū fuisse cōten-

dunt, & priorē esse gentilitatē, q̄ dei religionē, quam putant posterius inuentam,

quia fontem atq; originē ueritatis ignorāt. Nunc ad principiū mūdi reuertamur.

De iniquatione angelorum, & duobus generibus demonum, qui se persuaserunt ut deos coli,
quos etiam familiares philosophi habuerunt, ut Socrates. Cap. XV



Vum ergo numerus hominū cœpisset increfcere, prouidens deus, ne

fraudibus suis diabolus, cui ab initio terræ dederat potestatem, uel cor-

rumperet, uel dispergeret homines, quos in exordio fecerat, misit an-

gelos ad tutelam cultumq; generis humani. Quibus præcepit ante o-

mnia, ne terræ cōtagione maculati, substantiæ cœlestis amiterent dignitatē, scilicet

C id eos facere prohibuit, quod sciebat esse facturos, ut ueniam sperare non possent. Itaque illos cum hominibus commorantes, dominator ille terræ fallacissimus, consuetudine ipsa paulatim ad uitia pellexit, & mulierum congressibus inquinauit. Tum in cœlum ob peccata, quibus se immerferant, non recepti, ceciderunt in terram. Sic eos diabolus ex angelis dei suos fecit satellites ac ministros. Qui autem sunt ex his procreati, quia neque angeli neque homines fuerunt, sed mediam quandam naturam gerentes, non sunt ad inferos recepti, sicut in cœlum parentes eorum. Ita duo genera dæmonum facta sunt, unum cœleste, alterum terrenum. Hi sunt immundi spiritus, malorum quæ geruntur autores, quorum idem diabolus est princeps. Unde Trismegistus illum *δαίμονάρχη* uocat. Dæmonas autem grammatici dictos aiunt, quasi *δαίμονας*, id est peritos, ac rerum scios. Hos autem putant deos esse: sciunt illi quidam futura multa, sed non omnia, quippe quibus penitus consilium dei scire non licet: & ideo solent responsa in ambiguos exitus temperare. Eos poëta & sciunt esse dæmonas, & loquuntur. Hesiodus ita tradit:

*Τοὶ μὲν δαίμονες εἰσὶ θεὸς μέγας Ἰσῆ βολαῖς
ἑδλοὶ ὑπὸ χθόνιοι φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.*

Quod idcirco dictum est, quoniam custodes eos humano generi deus miserat: sed ipsi, cum sint perditores hominum, custodes tamen se uocari uolunt, ut ipsi colantur, & deus non colatur. Philosophi quoque de his dixerunt. Nam Plato etiam naturas eorum in Symposio exprimere conatus est. Et Socrates esse circa se assiduam dæmona loquebatur, qui sibi puero adhæsisset, cuius arbitrio & nutu sua uita regeretur. Magorum quoque ars omnis ac potentia, horum aspirationibus constat, à quibus inuocati, uisus hominum præstigijs obcæcantibus fallunt, ut non uideant ea quæ sunt, & uidere se putent illa, quæ non sunt. Hi, ut dico, spiritus cõtaminati ac perditii, per omnem terram uagantur, & solatiũ perditionis suæ perdendis hominibus operantur. Itaque omnia insidijs, fraudibus, erroribus complent. Adhærent enim singulis hominibus, & omnes hostiatim domos occupant, ac sibi Geniorum nomen assumunt: sic enim Latino sermone dæmonas interpretantur. Hos in suis penetralibus consecrant. His quotidie merum profundunt, & scientes dæmonas uenerantur, quasi terrestres deos, & quasi depulsores malorum, quæ ipsi faciunt & irrogant. Qui quoniam sunt spiritus tenues, & incõprehensibiles, insinuant se corporibus hominũ, & occulte in uisceribus operti, ualitudinem uitiant, morbos citant, somnijs animos terrent, mentes furoribus quatiunt, ut homines his malis cogant ad eorum auxilia decurrere.

Quod hi prodesse putantur, quum nocere desinunt, nec possunt aliquid in eos, qui in fide solidati sunt, sed sanctis subiecti, eis tanquam serui obediunt. Cap. XVI



Dæmones à Christianis eijciuntur.

Quorum omnium fallaciarum ratio, expertibus ueritatis obscura est. Prodesse enim eos putant, quum nocere desinunt, qui nihil aliud possunt quam nocere. Dicat fortasse aliquis, colendos esse ergo, ne noceant, si quidem possunt nocere. Nocent illi quidem, sed ijs à quibus timentur, quos manus dei potens & excelsa non protegit, qui profani sunt à sacramento ueritatis. Iustos autem, id est cultores dei, metuunt: cuius nomine adiurati, de corporibus excedunt: quorum uerbis, tanquam flagris uerberati, non modo dæmonas se esse confitentur, sed etiam nomina sua edunt: illa quæ in templis adorantur, & quod plerumque coram cultoribus suis faciunt, non utique in opprobrium religionis, sed honoris sui, quia nec deo per quem adiurantur, nec iustis, quorum uoce torquentur, mentiri possunt. Itaque maximis saepe ululatibus editis, uerberari se, & ardere, & iamiamque exire proclamant. Tantum habet dei cognitio, ac iustitia potestatis. Cul ergo

A ergo nocere possunt, nisi ijs, quos habent in sua potestate: Denique affirmat eos Hermes, qui cognouerint deum, non tantum ab incursionibus dæmonum tutos esse, uerumetiam ne fato quidem teneri. *μία, inquit, φυλακή εὐσέβεια: εὐσεβὸς γὰρ αὐθρῶπος ὅτε δαίμων κακὸς, ὅτε εἰμαρμένη κρατεῖ, θεὸς γὰρ ῥύεται τὸν εὐσεβῆ ἐκ παντὸς κακῶ. τὸ γὰρ ἦν καὶ μόνον ἦν ἀνθρώποις ὄδῳ ἀγαθῶν, εὐσέβεια.* Quid sit autem εὐσέβεια, alio loco his uerbis testat, dicens: *ἢ γὰρ εὐσέβεια, γνῶσις θεῶν.* Asclepius auditor eius eandem sententiam latius explicauit in illo sermone perfecto, quem scripsit ad regem. Vterq; uero dæmonas esse affirmat inimicos & uexatores hominū: quos ideo Trismegistus ἀγγέλους πονηροὺς appellat: adeo non ignorat ex cœlestibus deprauatos terrenos esse cœpisse.

Pietas quid.

Quod hi astrologiam, aruspicinam, & omnes artes reprobas inuenerunt, & persuaserunt cultum idolorum per miracula, & uarias fallaciarum tendiculas. Cap. XVII



Iorum inuenta sunt, astrologia, et aruspicina, & auguratio, & ipsa quæ dicuntur oracula, & necromantia, & ars magica, & quicquid præterea malorū exercent homines, uel palam, uel occulte: quæ omnia per se falsa sunt, ut Sibylla Erythraea testatur:

-ἐπεὶ πλάνη πάντα τὰ δ' ὄδῳ,

ἀπὸρ' ἀφρονὸν αἰδέσθαι ἐρδυνῶσι καθ' ἡμᾶρ.

B Sed ijdem ipsi autores præsentia sua faciunt, ut uera esse credantur. Ita hominum credulitatem mentita diuinitate deludunt, quod illis uerum aperire non expedit. Hi sunt, qui imagines & simulacra fingere docuerunt: qui, ut & hominum mentes à cultu ueri dei auerterent, & fictos mortuorum regum uultus, & ornatos, exquisita pulchritudine statui consecrariq; fecerunt, & illorū sibi nomina quasi personarum aliquas induerunt. Sed eos magi, et ij, quos uere maleficos uulgius appellat, quum artes suas execrabiles exercent, ueris suis nominibus cient illis cœlestibus, quæ in literis sanctis leguntur. Hi porro incesti ac uagi spiritus, ut turbent omnia, & errores humanis pectoribus infundant, serunt ac miscent falsa cum ueris: Ipsi enim cœlestes multos sinxerunt esse, & unum regem omniū louem: eo quod multi sunt spiritus angelorum in cœlo, & unus parens ac dominus omniū deus. Sed ueritatē mentitis nominibus inuolutā, ex oculis abstulerunt. Nam deus (ut principio docui) neq; nomine, quum solus sit, eget: neq; angeli, quū sint immortales, dici se deos aut patiuntur, aut uolunt: quorum unum solumq; officium est, seruire nutibus dei, nec omnino quicquam nisi iussu eius facere. Sic enim mundum regi à deo dicimus, ut à rectore prouinciam. Cuius apparitores nemo socios esse in regenda prouincia dixerit, quamuis illorum ministerio res geratur. Et hi tamen possunt aliquid præter iussa rectoris, per ipsius ignorantia, quæ est conditionis humana. Ille autem præses mundi, & rector uniuersi, qui scit omnia, cuius diuinis oculis nihil septum est, solus habet rerum omniū cum filio suo potestatem: nec est in angelis quicquā, nisi parendi necessitas. Itaq; nullum sibi honorem tribui uolunt, quorum honor in deo est. Illi autem, qui descuerunt à dei ministerio, quia sunt ueritatis inimici, & præuaricatores, dei nomen sibi, & cultum deorum uendicare conantur: non quod ullum honorem desiderent, (quis enim honor perditis est?) nec ut deo noceant, cui noceri non potest: sed ut hominibus, quos nituntur à cultu & notitia ueræ maiestatis auertere, ne immortalitatem adipisci possint, quam ipsi sua nequitia perdiderunt. Offundunt itaq; tenebras, et ueritatem caligine obducunt, ne dominū, ne patrem suū norint: & ut illiciant, facile in templis se occultunt, & sacrificijs omnibus præstò adsunt, eduntq; sæpe prodigia, quibus obstupefacti homines, fidem commodent simulacris diuinitatis, ac numinis. Inde est, quod ab au-

Magorum carmina.

Dæmonū præstigia.

C gure lapis nouacula incisus est: & quod Iuno Veiensis migrare se Romam uelle respondit: quod Fortuna muliebris periculum denunciauit: quod Claudiae matris nauis secuta est: quod in sacrilegos & Iuno nudata, & Locrensis Proserpina, & Ceres Milesia uindicauit: & Hercules de Appio, et Iupiter de Atinio, & Minerva de Caesare. Hinc, quod serpens urbem Romam pestilentia liberauit Epidauro accersitus. Nam illuc *δαεμονίαρχος* ipse in figura sua sine dissimulatione per ductus est: siquidem legati ad eam rem missi, draconem secum mirae magnitudinis attulerunt. In oraculis autem uel maxime fallunt, quorum praestigias profani a ueritate intelligere non possunt. Ideoque ab illis attribui putant & imperia, & uictorias, & opes, & euentus prosperos rerum. Denique ipsorum nutu saepe rempublicam periculis imminetibus liberatam: quae pericula & responsis denunciauerunt, & sacrificijs placati auerterunt. Sed omnia ista fallaciae sunt. Nam quum dispositiones dei praesentiant, quippe qui ministri eius fuerunt, interponunt se in his rebus, ut quaecumque a deo uel facta sunt, uel fuerunt, ipsi potissimum facere, aut fecisse uideantur. Et quoties alicui populo uel urbi, secundum dei statutum boni quid impendet, se id facturos uel prodigijs, uel somnijs, uel oraculis pollicentur, si sibi templa, si honores, si sacrificia tribuantur. Quibus datis, quum illud acciderit quod necesse est, summam sibi pariunt uenerationem. Hinc templa deuouentur, et nouae imagines consecrantur, & mactantur greges hostiarum. Sed quum haec facta sunt, nihilominus tamen & uita & salus eorum qui haec fecerint, immolantur. Quoties autem pericula impendent, ob aliquam ineptam & leuem causam se profitentur iratos: sicut Iuno Varroni, quod formosum puerum in templo Iouis ad exuias tenendas collocarat: & ob hanc causam Romanum nomen apud Cannas penes deletum est. Quod si Iuno alterum Ganymedem uerebatur, cur iuuentus Romana luit poenas? Vel si dii tantummodo duces curant, caeteram multitudinem negligunt, cur Varro solus euasit, qui hoc fecit: & Paulus, qui nihil meruit, occisus est: Videlicet nil tunc Romanis accidit fati Iunonis iniquae, quum Annibal duos exercitus populi Romani & astu, et uirtute confecit. Nam Iuno audere non poterat, aut Carthaginem defendere, ubi arma eius & currus fuit, aut Romanis nocere, quia

Progeniem Troiano a sanguine duci

Audierat, Tyrias olim quae uerteret arces.

Sed illorum sunt isti lusus, qui sub nominibus mortuorum delitescunt, uiuentibus plagas tendunt. Itaque siue illud periculum, quod imminet, uitari potest, uideri uolunt id placati auertisse: siue non potest, id agunt, ut propter illorum contemptum accidisse uideatur. Itaque sibi apud homines, qui eos nesciunt, auctoritatem ac timorem pariunt. Hac uersutia & his artibus notitiam ueri ac singularis dei apud omnes gentes inueterauerunt. Suis enim uitijs perditum sauiunt & grassantur, ut perdant. Idcirco etiam humanas hostias excogitauerunt, ipsi hostes humani generis, ut quam multas deuorarent animas.

Cur deus humano generi sic patiatur illudi: & quod tribus de causis uana est deorum religio. Cap. XVIII



Dicet aliquis: Cur ergo deus haec fieri patitur, nec tam malis succurrit erroribus: ut mala cum bonis pugnent: ut uitia sint aduersa uirtutibus: ut habeat alios quos puniat, alios quos honoret. Vltimis enim temporibus statuit de uiuis ac mortuis iudicare: de quo iudicio mihi erit in ultimo libro disputatio. Differt ergo, donec ueniat temporum finis, quo effundat iram suam in potestate ac uirtute caelesti, sicut uatum praedicta priorum terribili monitu horrificant. Nunc autem patitur homines errare, & aduersum se quoque impios esse,

Vnde Apollonius in
nobis apud Plinium

Oraculorum
fallaciae.

Vnde sibi dii
pariant uenera
tionem.

Dei longanis
mitas.

A esse, ipse iustus, & mitis, & patiens. Nec enim fieri potest, ut non is, in quo perfecta sit uirtus, sit etiā perfecta patientia. Vnde quidā putant, ne irasci quidem deum omnino, quod affectibus, qui sunt perturbationes animi, subiectus non sit: quia fragile est omne animal quod afficitur & cōmouetur. Quæ persuasio ueritatē atq; religionem funditus tollit. Sed seponatur interim locus hic nobis de ira dei differendi, quod & uberius est materia, & opere proprio latius exequenda. Illos ergo nequissimos spiritus quisquis ueneratus fuerit & secutus, nec cœlo nec luce potietur, quæ sunt dei: sed † in illis decideret, quæ in distributione rerum attributa esse ipsi malorum principi disputauimus: in tenebras scilicet, & inferos, & in supplicium sempiternum. Docui religiones deorum triplici ratione uanas esse: Vna, quod simulacra ipsa, quæ coluntur, effigies sint hominum mortuorū. Est autem peruersum & incōgruens, ut simulacrū hominis à simulacro dei colatur: colit enim quod est deterius & imbecillius. Tum inexpiable facinus esse, deferere uiuentē, ut defunctorum monumentis seruias, qui nec uitam, nec lucem dare cuiquam possunt, qua ipsi carent. Nec esse aliū quenquā deum, præter unum, cuius iudicio ac potestati omnis anima subiecta sit. Altera, quod ipsæ imagines sacræ, quibus uanissimi homines seruiunt, omni sensu carent, quoniam terra sint. Quis autem non intelligat nefas esse, rectū animal curuari, ut adoret terrā: quæ idcirco pedibus nostris subiecta est, ut calcanda nobis, nō adoranda sit: qui sumus ideo excitati, & ex eo statum sublimē præter ceteras animantes accepimus, ut nō reuoluamur deorsum, ne hunc cœlestem uultū proiciamus ad terrā, sed oculos eò dirigamus, quō illos naturæ suæ conditio direxit, nihilq; aliud adoremus, nihil colamus, nisi solum artificis parentisq; nostri unicum numen: qui propterea hominē rigidū figurauit, ut sciamus nos ad superna & cœlestia prouocari. Tertia, quod spiritus, qui præ sunt ipsis religionibus, cōdemnati & abiecti à deo, per terram uoluentur: qui nō tantum nihil præstare cultoribus suis possunt, quoniā rerum potestas penes unū est, uerum etiā mortiferis eos illecebris & erroribus perdant: quoniā hoc illis quotidianum est opus, tenebras hominibus obducere, ne quærāt ab illis uerus deus. Non igitur colendi sunt, quia sententiæ dei subiacent. Est enim piaculū maximū, addicere se potestati eorum, quibus si iustitiā sequare, potentior esse possis, & eos adiuratione diuini nominis expellere ac fugare. Quod si apparet religiones istas tot modis esse uanas, quibus docui, manifestū est eos, qui uel mortuis supplicāt, uel terrā uenerant, uel spiritibus impuris animas suas mancipāt, rationē hominū non tenere: eosq; impietatis ac sceleris sui supplicia pensuros, qui rebelles aduersus parentem generis humani deū, susceptis inexpiablebus sacris, fas omne uiolarunt.

Quod in cultu simulacrorum nulla potest esse religio: nam à simulatione, id est à fallacia dicta sunt. Cap. XIX



Vicunq; igitur sacramentum hominis tueri, rationemq; naturæ suæ nititur obtinere, ipse se ab humo suscitet, & erecta mente oculos suos tendat in cœlum: non sub pedibus quærat deum, nec à uestigijs suis eruat, quod adoret: quia quicquid homini subiacet, infra hominem sit necesse est. Sed quærat in sublimi, quærat in summo: quia nihil potest homine maius esse, nisi quod fuerit supra hominem: Deus autem maior est homine: supra ergo, non infra est: nec in ima potius, sed in summa regione quærendus est. Quare non est dubium, quin religio nulla sit, ubicunq; simulacrum est. Nam si religio ex diuinis rebus est, diuini autem nihil est, nisi in cœlestibus rebus, carent ergo religione simulacra: quia nihil potest esse cœleste in ea re, quæ sit ex terra: quod quidē de nomine ipso sapienti apparere potest. Quicquid enim simulatur, id falsum sit